



Off. Bo. 4.





DISSERTATIO PHILOLOGICO - HISTORICA  
DE  
LACRIMIS  
VATVM SACRORVM  
INSPIRATIONIS DIVINAE TESTIBVS,  
*Ad Oraculum II. Reg. VIII, comm. 10, ii.*  
CVRATIVS ENVCLEANDVM,  
IN AVDITORIO THEOLOGICO  
DIE XV. DECEMBER. M DCC XXXXVII.  
HABITA,  
AVCTORE ET PRAESIDE  
IOANNE RVDOLPHO KIESLINGIO  
D. ET PROF. PVBL. ORDIN.  
ET RESPONDENTE a.  
M. CHRISTIAN. ERNEST. MEERHEIMIO  
S. S. MINISTER. CANDIDAT.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMAINA.

KENFRIED  
UNIVERS.  
ZV HALIE



DE  
LACRIMIS VATVM SACRORVM,  
DIVINAE INSPIRATIONIS TESTIBVS.

§. I.



natura omnibus innatum esse, lacrimas emittere, flebilemque mortalium conditionem profuso oculorum imbre quandoque indicare, adeo certum est, vt huic veritati non opus sit hedera. Nec inficiamur, has ipsas, quibus genas nostras irrigamus, lacrimas naturae humanae esse familiares; et, si natu-ram illarum species, eas, quas dixi, lacrimas nihil aliud, quam humorem aliquem serosum ex oculis expressum, seu, si mauis, excrementum esse cerebri aqueum, quod ex coctione cerebri in oculorum glandulas de-truditur, et ex iis per constrictiōnem, vehementiori animi motu, deinceps propellitur, quas lacrimarum natales fusius indagarunt rerum naturalium venatores, in quorum mesēm falcam immittere nolumus. Et iam si vero lacrimas hominibus naturales esse statuimus, id tamen in vadō est, easdem insignis doloris in viris, et hominibus, qui triplex robur circa pectus habent, et ab ingenio ad misericordiam proclivi, nec non fucato dolore alieni sunt, esse tristitia, moeroris, et vulnerati animi indices. Quodsi nunc a sexu sequiori, quem oculos suos, vt flerent, erudiuisse in prouerbio dicitur, ad viros fortes, et minus enerues et effoeminatos,

transeamus, verum est, lacrimas heroum plerumque in pretio esse habitas, magnique aestimatas, quod multis ex heroum Graeciae et Latii exemplis, Agamemnonis, Achillis, Agenilai, Alexandri Magni, Caesaris, aliorumque demonstrat EVERHARDVS FEITHIVS<sup>a)</sup> fedulus antiquitatum Homericarum indagator. Quin et sacri quondam vates, homines inquam, diuino afflati dignati, id humani a se non alienum fuisse sunt testati, quod in Elisa, Ieremia, ipso Iesu, diuino Dei Patris legato, et Apostolis, demonstratu admodum facile est. Maximum tamen inter virorum plebeiorum et sanctorum lacrimas constituendum est discrimen, potissimum, si causas harum lacrimarum species. Leuidensia faepe fuerunt in heroibus lacrimarum effusarum argumenta, quae vel mortem virorum bene meritorum feralem et praematuram, vel studium gloriae acquirendae immoderatum, plerumque concernunt. Ast Propheta rum, Iesu, et Apostolorum lacrimae, alio plane ex fonte, videlicet ex visione, et reuelatione periculorum mortalibus imminentium diuina, profluxerunt.

## S. II.

Summus voluntatis diuinae interpres, Sanctissimus Iesus, prope urbem Hierosolymitanam consistens, <sup>b)</sup> plurimas easque ardentissimas, ob calamitatem et deuastationem huic regiae ciuitati in Oriente imminentem, profudit lacrimas. Luc. XIX, 41. Quo ipso oculorum humescientium effluvio demonstravit sospiter optimus, se diuinum a Deo esse legatum, eumque diu promisum et expectatum, qui omnia, quae futura sunt, praeuideret, et extrema omnia, eaque funestissima fata, ingratiae et degeneri Abrahami soboli significaret. Qui enim futura prae nunciat certe euentura, et ipsorum euentu omni ex parte firmata, de ipsius legatione et inspiratione diuina possumus esse certissimi. Nitide hoc argumentum, ab euentu eorum, quae praedixit Christus, de excidio urbis Hierosolymitanae, petitus, ad veritatem religionis Christianae demonstrandam, et legationem Christi a summo Numine confirmandam, diluit, et argumentorum phalanges in aciem aduersus religionis nostrae hostes produxit, ISAACVS IAQVELOTVS,<sup>c)</sup> quem adiisse non poenitebit.

a) Vid. Thesaur. Antiquitat. Gronou. Vol. VI. in Feithii Antiquit. Homeric. Lib. III, Cap. XV, p. 2804, seq.

b) Vid. Dissertat. Arfii, de Lacrymis Christi, ad Luc. XIX, 41. Vid. Thesaur. Philologic. Tom. II, p. 320.

c) Vid. Traité de la vérité et de l'inspiration des Livres Sacrez, Part. II. Chap. XI, p. 388.

nirebit. Mitto lacrimas a Christo in morte Lazari, et magnae passionis tempore, largiter effusas. Io. XI, 35. Hebr. V, 7. Quos affectus in ipsis Prophetis, si ipsorum aspicias naturam, humanos quidem et naturales fuisse, non negamus; attamen aliquid diuini in his ipsorum lacrimis latere, easdemque diuinæ reuelationis et inspirationis esse testes, adfirmare, haud erubescimus. Sententiam nostram oraculum, quod prolixius diluendum enucleandumque est, inuidio argumento confirmabit.

## §. III.

Operae pretium duximus, res inter Elisaem et Hasaëlem quoniam gestas, memoria sane et commentatio[n]e dignas, paullo curatius contemplari, nostrisque meditationibus aliquantisper adaugere. Missus enim aliquando Hasaël, summus rerum in bello gerendarum praefectus, a Benhadado, Syriae Rege, graui morbo confligante, ad Elisaem, prophetam suo, quo vixit, aeuo illustrissimum, ut ex illo quereret, vtrum bene in grauissimo suo morbo de recuperanda sanitate sperare posset, vatem sacrum vultu admodum toruo, et madidis genis conspersum offendit regius legatus, et hoc oraculum, quod ita fluit, a viro Dei recepit, II. Reg. VIII. cap. v. 10. II. וַיֹּאמֶר אֶלְעָזָר אֱלֹהִים לֵאמֹר תְּחַזֵּה וְהַרְאֵנִי יְהוָה פִּי מִתְּמִתָּה : וַיֹּאמֶר אֶת־פָּנָיו וְשָׁם עַד־בְּשַׂר חִזְקָיהּ אָוֹשֵׁה הַלְלוּתָה : Dixit autem ad eum Elischa: abi, dic ei: viuendo viues; nam ostendit mihi Iehouah, quod moriendo moriturus sit. Deinde flare fecit facies suas, et compositus usque ad pudorem, fleuitque vir Dei. Incussum hic tristissimus Elisaei aspectus Hasaëli metum, eventusque demonstrauit, has Elisaei lacrimas aliquid mali annunciasse. Age, eruamus hoc effatum vberius, inuestigemus eiusdem viscera, et ad euictam demus fidem, has Elisaei lacrimas diuinæ inspirationis testes omnino esse dicendas.

## §. IV.

Inuestigaturi hoc, quod excitauiimus, effatum penitus, historiam Hasaëlis, regis Syriae, quam ex instituto tradiderunt IAC. SALIANS<sup>d)</sup> IACOB. VSSERIVS<sup>e)</sup> ARTHVRVS BEDFORDVS<sup>f)</sup> MARCIO

d) Vid. Annal. Ecclesiastic. Tom. IV, ad ann. 3157, p. 143, et ad ann. 3187, p. 159

e) Vid. Annal. Vet. et Nou Test. p. 42. seq

f) Vid. The Scripture Chronology, Book VI, Chap. II, §. 75. et 82, p. 639. et 641.

CHIO de SANCTO PHILIPPO, <sup>g)</sup> et IO. FRANCISC. BVD-  
DEVS <sup>h)</sup> iam aliquantis per negligimus, presso pede nostro instituto in-  
haerentes. Benhadadus difficulti morbo correptus erat, cuius causam,  
quod obsidio urbis Samariae infelicem et ignominiosum nacta est euen-  
tum, fuisse arbitratur FLAVIVS IOSEPHVS. En IOSEPHI <sup>i)</sup> verba:  
*Addadus Syrorum rex, vbi incolumis Damascum venit, intellexitque  
Deum ipsique et exercitu eius uniuerso terrorum et perturbationem iſlam  
incuſſe, quodque ab hoſtium inuaſione, nequaquam metu, fuerint per-  
cule, moerore vehementer affectus, quod Deum ſibi infenſum haberet,  
in languorem incident.* Cumque per idem tempus Eliaſaeus vates e patria  
ſua Damascum iuifet, hoc cognito, Addadus domeſticorum ſuorum fidelif-  
ſimorum, Azaēlum, ei occuſurum misit, munera etiam ſecum ferentem,  
cui in mandatis dedit, ut de morbo illum percontaretur, et num ex pe-  
riculo ab eo intentato eſſet etiā ſurus. Infaustus obſidionis urbis Samari-  
iae exitus, ex IOSEPHO adductus, prolixo nobis 2. Reg. VII. tra-  
ditur, commemoraturque, terrore aliquo panico in caſtris Syrorum  
excitato, ipſos Syros clam caſtra reliquifſe, et fuga ſalutem petiſſe,  
quod Benhadadi moerorem animi omnino follicitare, auſtoritatē autem  
Eliaſei apud regem Ioramum, et totum populum Iſraeliticum, au-  
gere poterat. Pudore itaque et ignominia fuffuſus, ex IOSEPHI  
opinione, in animi triftiam et exitialem morbum incidit Benhadadus.  
Benhadadus vero, de vita follicitus, misit Hafelelm, cum ampliſſimis  
muneribus, ad Eliaſeum, qui regionem Damascenam ſalutauerat, vt ex  
eo ſcificaretur, an recuperandae sanitatis ſpes ipſi eſſet relictā, verſ. 7,  
8, 9. Diuino, niſi me fallit augurium, confiſio, hic ſanctissimus Dei le-  
gatus iter in Syriam fuſcepit, vt ultima Benhadado, grauiter decum-  
benti, annuciaret fata, et denuo declararet, Hafelelm futurum eſſe,  
demortuo Benhadado, Syriae regem, ſed populo Iſraelitico longe in-  
fenſiſſimum, et pernicioſiſſimum, v. 12. Etenim, ſi 1 Reg. XIX, 15.  
intropſexeris, extra omnem dubitationis aleam eſt pofitum, Hafelelm  
iamiam ab ipſo Elia oleo ad regnum obeundum eſſe perunctum. Nimis  
autem acutuli ſunt illi, qui cum Rabbinis, teſte CASP. SANCTIO <sup>k)</sup>  
huius

g) Vid. la Monarchie des Hebreux, Tome troisieme, p. 208.

h) Vid. Histor. Ecclesiast. V. Test. Tom. II, Period. II, Sect. IV, §. XIV,  
p. 462. ſequ.

i) Vid. Opp. Tom. I, Antiquitt. Iudaic. Lib. IX, Cap. IV, p. 482. ſequ.  
Edit. Hauercamp.

k) Vid. Commentar. ad h, l, p. 1439.

huius profecionis causam in eo ponunt momento, quod Elisaeus Damascum sit profectus, eo fine ac omine, ut animum Gehasi, ob morbum leprae, detestanda sui ipsius diuitiarum cupiditate, sacraque auri fame, ortum, cum desperatione colluctantem, sua praesentia et auxilio erigeret et sustentaret. Satis commoda et solida mihi videtur illa itineris instituti ratio, vt Hasaeli existeret vates herciscundi regni, monitorque longe grauissimus, ne suo crudeli contra Israelitas indulgeret ingenio, sed consilia caperet mitiora, si ad sceptrum imperii aspiraret.

## §. V.

Vexat exercetque aliquantisper facros interpretes Elisaei responsio, Hasaeli his verbis data: *לְךָ אַפְרִילָא (וְ) תֵּחֶזְקֵה וְהָרָאֵנִי:* *Abi, dic ei viuendo viues, et offendit michi Ichouah, ipsum certo esse moriturum,* v. 10. Scrupulus commentatoribus ex notis Masorethicis, Kethib et Kerî, in quibus נְאָל non, annotatur לְei, est enatus. Dissidia exinde inter interpretes sunt orta, quorum alii, cum CAMPEG. VITRINGA,<sup>1)</sup> lectionem לְei, alii תְּאָל non, feligunt. Prout igitur quisque legit, ita sensum quoque reddit. Qui affirmatiuam tuentur explicationem, et lectionem לְ retainent, vix ac ne vix quidem eam evitare videntur Charybdin, prophetam maxima in re mendacii, vel saltē dissimulationis, speciem adhibuisse, et contra inspirationem diuinam, Elisaeo factam, spem recuperandae sanitatis certo fecisse, quod HVGO GROTIUS<sup>m)</sup> pro mendacio aliquo licto habet, putatque, tale mendacium, in exteros et idololatras commissum, plane innoxiam esse dissimulationem. Eadem in sententiam abit quoque 10. PISCATOR.<sup>n)</sup> Ast si hanc interpretationem recta reputamus via, inde non statim sequitur, sanctissimum Elisaem sibi mendacii, vel saltē dissimulationis attraxisse maculam, aut Benhadadum vana spe delusisse, sed cum veritate adseruisse, iftius mortem quidem per se, non esse exitiale, sed ob circumstantias, diuina ex permissione concurrentes, futurum, vt violenta morte ab Hasele interimeretur. Eam explicationem suo suffragio quoque adauget HENRIC. BENEDICT. STARCKIVS<sup>o)</sup> moneret; in verbis נְאָל, et לְ permutationem aliquam esse admissam. Scientia enim Dei, quae dicitur

1) Vid. Obs. Sacr. Lib. III. Cap. XVI, p. 692.

m) Vid. Annotat. ad h. l. p. 245.

n) Vid. Commentar. ad h. l. p. 334.

o) Vid. Not. Select. Critic. Philologic. ad h. l. p. 222.

dicitur media, causam, conditionemque supponit, qua posita, res omnino est euentura, ea vero suspensa, et non impleta, ille quoque cessat effectus, quod i Sam. XXIII, 12. 13. ex Davidis fatis optime colligitur. Sunt, qui haec verba interrogative posita esse adferunt, quos inter sunt SEBAST. SCHMIDIVS<sup>1)</sup> et MATTHAEVS POLVS.<sup>2)</sup> Respiciunt laudati viri interrogationem versu 9. prolatam : **חֲדָרָה**  
מְחַלֵּן זֶה : **num viicturus sum ex morbo hoc?** Cui interrogationi simpliciter repouflet: dic, tu non pristinam recipies sanitatem, quia Dominus mihi manifestauit, te certissime esse moriturum.

§. VI.

Nec obelo notanda est illorum sententia , qui imperatiuum pro futuro positum esse adserunt, ita, ut neruus responsionis hunc in modum fluat: Tu quidem dices, sanitati restitueris, sed alium rei euentum ex accidenti futurum mihi significauit Deus. Non inconcinnia est haec interpretandi ratio, et **SALOM. GLASSIVS**<sup>1)</sup> huius formulae documenta Gen. XX. 7. XLII. 18. XLV. 18. Deut. XXXII. 50. Psalm. XXXVII. 27. et passim obvia bene multa collegit, sciteque demonstrauit Hebraeis omnino familiare esse imperatiuum quandoque pro futuro indicatiui adhibere. Iuxta hanc interpretandi regulam sensus horum verborum a variis liberatur difficultatibus. Eam quoque recitat **AVGVSTIN.** **CALMETVS**<sup>2)</sup> explicationem, sed iam dudum praelusit **NICOLAVS de LIRA**<sup>3)</sup> haec verba ita reddendo, quod non imperatiue seu inductiue, sed tantum propheticē essent dicta, ut sensus sit: *dice vi, id est, tu dices, quia propheta videbat cum sic dicturum, de futuro, quia Hebrei pro voce Vau aliquando vtuntur Aleph, sed punctatur ac si describeretur per Vau.* Quantum enim ex hoc oraculo coniicitur, mors Benhadad non absolute erat metuenda, sed sub conditione futura , si nimurum Hafael hoc oraculo permotus, sibi a caede regi inferenda temperaret. Quum autem praeuisiōnem diuinam nulla hominum versutia, nullaque rerum visiſtūdo fallere posſit, cognouit diuinus legatus , rem contingentem,

p) Vid. Vers. Latin. ad h. 1.

v. 10. Say, thou shalt not recover, for the Lord hath shewed me, that he shall surely die.

r) Vid. Philolog. S. Lib. III. Tract. III. can. XLIII. p. 869.

<sup>5)</sup> Vid. Commentar. opp. Tom II. ad h. l. p. 635.

t) Vid. Biblia S. cum Glossa ordinar. oper. Theol. Duacens. Tom. II. ad h. l. p. 907.

et sub conditione futuram, certissime hunc, quem praedixerat, habitaram esse euentum. Leuioris ceteroquin momenti est, quod lectio Masorethica nobis iniicit impedimentum, maioris autem ponderis omnino aestimanda est. Criticorum regula: eam lectionem, quae cum tota textus, et sensus serie optime conspirat, alteri, quae dubium anticipemque parit sensum, iure esse preferendam. Paucis, ut nostram de studio Masoretharum explicemus sententiam, rei tractandae postulat ratio. Non pro�us improbamus illorum operam. Non tamen inficiamur, multas quoque passim occurrere tricas et nassas, quae lectio et interpretationem magis impediunt, quam promouent, vel saltem in votum situ, vel magnitudinis, vel paritatis structura, arcanum aliquid, ex mera persuasione ponunt. Licer autem non omnem Masorae detrahant utilitatem, id tamen nunquam concesserim, Keri, seu lectionem marginalem, vocula Kethib esse anteponendam. Recte IOANNES LEVSDENIVS <sup>v)</sup> argumentatur: Lectio Keri marginalis vel est authentica, vel Kethib textualis est genuina: vtraque enim lectio non potest esse vera et genuina. Si igitur prior lectio statuitur esse genuina, et eadem sola est adhibenda, omisla vocula Kethib; sed nemo, neque Iudeorum, neque Christianorum magistrorum, hoc adseruit, neque in explicatione codicis Hebrei ea norma usus est, sequitur proinde, non tutam et firmam esse illorum sententiam, qui pro lectione Masorethica, tanquam pro aris et focis, pugnant, et hac, veluti cynosura, in interpretatione sacra vtuntur. Cum enim praeter LEVSDENIVM <sup>x)</sup> JOANNES BVXTORFFIVS <sup>y)</sup> IO. GOTTLÖB CARPOZIVS, <sup>z)</sup> et IO. CHRISTOPHORVS WOLFFIVS, <sup>a)</sup> scite demonstrent, auctores Masorae neque diuinae auctoritatis, neque antiquissimae aetatis, fuisse viros, iudicium in lectione sacra dictatorum ipsis concedi nequit.

### §. VII.

Ad nouum me nunc confero argumentum, quo demonstratur, hanc literarum **N** et **Y** crebram in scriptura sacra esse permutationem,  
quod

v) Vid. Philol. Hebr. Dissert. XXV. p. 290. sequ.

x) Vid. I. c. Diff. XXII, p. 252. sequ.

y) Vid. Tiberias, s. commentar. Masoreth, Cap. III, p. 2. Conf. Io. Bartholomaei Lentzii diff. de Notis Masorethicis, Witteb. 1702.

z) Vid. Critic. S. P. I, cap. III, p. 283. seq.

a) Vid. Bibliothec. Hebraeae lib. III. de Masora, p. 460.

quod LVDOVICVS CAPPELLVS <sup>b)</sup> ex quindecim dictis, aduersus Maforethas vindicatis, satis apte planum fecit. Oracula his notis au-  
ta leguntur: Exod. XXI, 8. Leuit. XI, 21. Cap. XXV, 30. 1 Sam. II, 3.  
2 Sam. XXI, 18. 2 Reg. VIII, 10. Esr. IV, 2. Iob. XIII, 15. Cap. XL, 3.  
Prouerb. XIX, 7. Cap. XXVI, 2. Ps. C, 3. Ps. CXXXIX, 16. Ies. IX, 3.  
Cap. LXIII, 9. Nec id abnuunt LEVSDENIVS, <sup>c)</sup> et MATTHAEVS  
HILLERVVS <sup>d)</sup> qui posterior, in libro de hoc arguento euulgato,  
erudit exposuit et multis exemplis docuit, hanc vocum נ et י per-  
mutationem esse vfitatam, ita tamen, vt sensu nulla inferatur iniuria.  
Moneo vterius, quod verba נ-י <sup>לְמַקֵּה</sup> per lineolam Makkeph con-  
iunctissima, optime eo sensu, quem nostrum facimus, fluunt. Ob-  
seruo tandem, huic interpretationi ipsum rei euentum adstipular.  
Etenim sanctissimus propheta praeuidit animum Hafaelis callidum, et  
ad dissimulationem procluem, nec non ad altiora tendentem, aliquid  
que monstri aletem. Non igitur opus erat, vt huic regis sicario  
adularetur, seque mendacii et criminis aliquo modo participem redde-  
ret Elisaeus; quod omnino fieret, si dissimulatio locum haberet. Quan-  
to vero certior fuit diuinus hic orator, de tristi Benhadadi vitae exitu,  
ab Hasaele accelerando; tanto candidior et purior ipsius fuit responso,  
dum propheta ita reponit: נ-י <sup>לְמַקֵּה</sup> dices ei. Praefagiebat enim  
animus prophetae aliquid mali, futurum nimirum esse, vt Hafael, im-  
pudicae et prafraetae frontis homo, non erubesceret, suo regi mori-  
bundo spem de sanitate recuperanda inspirare; partim, vt suum, quod  
moliebatur, infaustum celaret consilium, partim, vt gratiam regis, ob  
hoc auspiciatum nuncium, iniret, animumque sui domini aliquo modo  
tranquillum redderet. Serio itaque dehortatur eum Elisaeus, ne id  
ageret, ne mentiretur, ne personam fausti nuncii assumeret, sed vera,  
qua ex suo ore perceperat, regi suo referret. In pudorem simul  
dar Hafaelim, et testatur, se eius pessimorum conatum esse optimè  
conscium, quo ipsum a tam funestis consiliis reuocaret, et ad saniorem  
reduceret mentem. Hafael vero, certior redditus de omnibus, quae  
futura erant, ex propheta, tanto ardenter et feruidiori animo in-  
fensus, quod diu meditatus erat, deposita omni reverentia, ruit, et re-  
dux factus, regi grauiter decumbenti, praeter et contra mandatum  
sandissi-

b) Vid. Critic. Sacr. Lib. III, Cap. X, p. 113.

c) Vid. l. c. Difser. XXXIII, p. 279.

d) Vid. Arcan. Kethib et Keri, Lib. I, Cap. IV, p. 58. sequ.

sanctissimi Elisei, haec annunciauit: Dixit ergo: **וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים לְאָדָם לְיֻחָד תְּהִית** dixit mihi, viuendo viues, v. 14. Quibus verbis omnium mendacissimus extitit Hasaël, et ea, quae sub pectore habebat, callide dissimulauit. Putauerim, hoc modo interpretes sacros facile ex his nassis, quibus se constringere solent alii, eluciari posse, nec opus esse, ut crucem sibi figant, seque vel in varias lectiones, vel difficiles explicaciones, dent praeципites. Ast vela contraho, neque ulterius huic argumento immoror; sed oculos nunc in ipsum, quod delibandum est, coniicio effatum.

## §. VIII.

Ipsa nunc horum commatum structura, verborum sensus et pondera, ad limam sunt reuocanda. Si structuram species, et verborum sensum, vel exigua, vel nulla sele prodit difficultas: **וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים אֶת־פָּנָיו וַיַּשְׁעַר־בְּשָׂר וַיַּבְךְ אֲשֶׁר־בְּלֵבָבְךָ** Et fletit cum eo, et conturbatus est ad suffusionem vultus, et fleuit vir Dei. v. II. Leuis est scrapulus, quem lectio in editione Complutensi peperit, quando haec verba ad Hasaëlem potius, quam ad Eliseum, retulit, quasi vultu admodum perturbato intuitus esset prophetam Hasaël. Ast Graeci codices, Sixti V. iussu correcti,<sup>e)</sup> manifeſte tradunt, hanc tristem faciei mutationem Eliseo esse vindicandam, quod et versiones<sup>f)</sup> Chaldaica, Syriaca et Arabica, demonstrant. Illa vero formula: **וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים אֶת־פָּנָיו** flare fecit facies suas, ex linguae Hebraeae genio est explicanda. Bene enim obſeruat IACOBVS GVSSETIVS,<sup>g)</sup> vocem **פָנָיו** si cum verbo **שָׁמַר** ponere, coniungitur, affectum aliquem animi vehementiorem, er indignationem, iram et vindictam, quam quis vultu iracundo indicat, plerumque notare, quod ex Leuit. Cap. XX, v. 5, appetat: **וְשִׁמְךָ אֱנוֹן אֶת־פָּנָיו בְּאַשְׁר רְחוֹא** Panam faciem meam contra illum virum. Conſpirant oracula: 1er. XXI, 10. et XLIV, II. Inde, teste THOMA GATAKERO,<sup>h)</sup> non defunt, qui vocem **פָנָיו** cum verbo Graecorum θύμος comparare, et animi aegritudinem et iram significare putant.

## §. IX.

e) Vid. Bibl. Sacr. a Sixto V. Tom. I, ad h. 1. p. 434.

f) Vid. Waltoni Bibl. Polyglott. Tom. II, ad h. l. p. 550. sequ.

g) Vid. Commentar. Ebr. ad h. v. p. 686.

h) Vid. Opp. Criticor. Diff. de stylo Nou. Test. Cap. XLIII, p. 153.

## §. IX.

Si nunc ipsa verba, eorundemque neruum et potestatem, consideres, quaedam adhuc erunt submonenda. Vox עַמְלָה stetit, seu stare fecit, varias, easque amplissimas quidem habet significaciones apud Hebreos, quod lexicorum conditores demonstrant; sed nostro in oraculo talis significatur corporis situs, quo, oculis vel in terram, vel in alium locum defixis, animi moerore et ira percitis, meditabundus stetit Elisaëus, vt Hasaël facile intellexerit, diuinum Dei nuncium aliqua re affici et angi. Si enim res graues et difficiles altius pensitamus, vultum saepe contrahimus, tristitiae signa, vel irae fulgura, emitentes. Nec insolens est apud optimos Latii scriptores haec dicendi scribendique ratio, qua quis iracundo vultu alteri suam animi indignationem denunciat, ipsique iram et pericula minatur. Ita **TULLIUS**<sup>i)</sup> de Catilina scribit: *Notat et designat oculis ad caedem unquamquamque nostrum.* Arrider **LUDOVICI** de **DIEV**<sup>k)</sup> haec horum verborum interpretatio: *Et stare facit wultum suum, et posuit ad pudorem vsque, et fleuit vir Dei.* *Id est:* statio, immoto et fixo vultu intuitus est Hasaëlem, donec pudorem ipsi incuteret, et sibi lacrimas eliceret. Sequuntur haec verba: וְשָׁבֵעַ. Et posuit ad ruborem vsque. Καὶ ἔθηκεν ἡώς αὐτούντων. Eadem formula occurrit de Elisaëo: 2 Reg. II, 17. זִבְחָרָוּ בָּזֶבֶשׂ. Et inslitterunt in eum vsque ad pudorem. Καὶ παρεβίσαστο ἀυτὸν, ἡώς ἐπήσχιντο. Targum Ionathanis in vtrisque loco substituit verba: אֲפֹתָהִים אֲפֹתָהִים אֲפֹתָהִים אֲפֹתָהִים אֲפֹתָהִים. Et verit faciem suam, et moratus est vsque multum, et fleuit propheta Domini. Observari meretur, vocem עַמְלָה vti ex dictis: Gen. XXIX, 35, 1 Sam. XX, 38, appareat, quoque admittere notionem celsitudi, quando a motu et actione recedimus. Inde illa vox a Targumista Ionathane non inepte hoc sensu explicatur. Si enim animus nosler meditationibus aliquantis per est defixus, saepe tacemus, ita, vt meditabundi, ne hiscere quidem videamur. Nos nostri insitissimus fontibus, hoc vnicum delibantes, quid causa huius pudoris fuerit. Mittimus hanc interpretum sententiam, qua statuitur, Elisaëum, ob insignem regis Benhadadi liberalitatem, et donorum regiorum magnitudinem, erubuisse, indoluisseque, quod regi in se tam liberali et largo, qui amplissima ad ipsum, per Hasaëlem, misserat munera, infusa significare deberet. Maiori vero veritate se nobis

i) Vid. Orat. I. in L. Catilin, p. m. 237.

k) Vid. Animaduersiones ad h. l. p. 80.

bis commendat hacc ratio, ipsum Hasaëlem hanc animi tristitiam, ruborem, feroaremque Elisaeo excusissime; ita, ut attonitus quasi, et aestu incensus sancto, hunc legatum, qui tam fatalem populo Iudaëlico inferre debebat mutationem, cum grauitate vultus intueretur. Continuit aliquantis per prophetam lacrimas, singultusque repressit; sed dolor superauit animi constantiam, et lacrimas exprescit. Nam: **וַיָּבֹךְ אֶשְׁתְּנַאֲדָרָם Fleuitque vir Dei.** Nihil in hac historia traditur, Elisaeum haec Benhadadi munera, sane amplissima, recepsisse; multo magis credibile est, eadem illa ipsa, qua Naamani dona spretuit, modestia repudiasse. In moribus enim prophetis fuit positum, omnem donorum recipiendorum a se amouere cupiditatem, ne sacrificulorum imitarentur mores, et in suspicionem avaritiae et προσωποληψίας forte prolaberentur.

## §. X.

Haec ipsa perturbati animi et vultus forma, non poterat non Hæfælern commouere, ut sciscitaretur Prophetam: **מִרוּעַ אָדָנִי בְּכָה Quare Dominus meus est flens?** v. 12. Dixit autem: Quia noui id, quod facturus es filiis Israëlis malum: munimenta eorum mittes in ignem, et iuuenes eorum gladio occides, et infantes eorum allides, ac grauidas eorum dissecabis. Nihil magnopere obseruandum circa ipsa textus verba occurrit, nisi illa, quae aliqua commentatiuncula indigere videntur: **וְעַלְלֵיכֶם תִּרְיַט et infantes eorum allides, verba, paulo curatius enodare velis.** Allatio hominum in lapides est mortis supplicium, quod cum lapidatione Iudeorum optime conspirat, de quibus Hebraeorum poenis, eisque capitalibus, legi possunt **GVLIELM. SVRENHVSIVS,**<sup>1)</sup> **MELCH. LEIDECKERVS,**<sup>2)</sup> **et IO. LEVSDENIVS.**<sup>3)</sup> Occurrunt etiam huius rei vestigia 2 Chron. XXV, 12. Psalm. CXXXVII, 9. 2 Reg. IX, 33. Luc. IV, 28. 29. 30.<sup>4)</sup> Nec solum apud Hebraeos, sed et alias quoque gentes, hoc supplicii genus, quod allatio in rupes, seu præcipitum, seu præcipitatio dicitur, longo vsu inualuit. E vetustis rerum gesclarum monumentis, insignem **EV RIPIDIS**<sup>5)</sup> adfero locum, ex quo apparet, Troia a Graeciæ heroibus deleta, e turris sublimitate Astyanæthen, Hectoris filium,

1) Vid. Leg. Misch. Part. IV, Tractat. de Syned. p. 237.

2) Vid. Reipubl. Hebraeor. Tom. I, Lib. VII, Cap. XII, p. 483.

3) Vid. Philolog. Hebr. Mixt. Dissert. XLVII, p. 327.

4) Vid. nostram Commentat. Philologic. Theologic. de Iesu Nazareno integrata patria exule, ad h. Luc. loc. edit. Lips. 1741.

5) Vid. Euripid. Hecub. Stroph. 215 - 20.

filium, esse deiectum, quod ut patienter ferat Andromacha, auctor est et  
fusor Talthybius, his verbis:

Ιω κατασαρ̄ ανδρῶν	An scelerate vir
Ως διεμοιχασω	Qui laniasti
Χρεα, σιδηρεω	Corpus, ferreo
Τεμων Φασγανω	Secans enfe,
Μελεα εδε παιδος, εδε ωντισων.	Membra huius pueri neque misertus es.

Planius propemodum hoc triste Astyanactis fatum decantauit o v i-  
d i v s <sup>q)</sup> hunc in modum, gracili auena, modularis:

Mittitur Astyanax illis de turribus, vnde  
Pugnantem pro se, proauitaque regna tuentem,  
Saepe videre patrem monstratum matre solebat.

Ait satis de hoc priscae antiquitatis ritu.

### §. XI.

Prius autem, quam hoc argumentum perorem, unicum saltem  
AELIANI testimonium in rei veritatem mihi adiiciendum videtur.  
Commemorat nobis iniquam profecto, quam quidam iuvenes passi sunt,  
fortem, qua a Delphicis sacrilegii nomine iniuste sunt condemnati. His  
enim rem diuinam facientibus, Delphici malum machinantes, quaedam  
vascula, et alia e rebus sacris instrumenta, in ipsorum iniecerunt canistra;  
re vero cognita, hoc supplicio sunt affecti, teste AELIANO <sup>r)</sup>: λα-  
βόντες εν αυτές Θεοσύνας ἀπίγαγον ἐπὶ τὴν πέτραν, καὶ κατενθύ-  
μησαν, κατὰ τὸν Δελφικὸν νόμον. Comprehensos itaque eos, tanquam  
sacrilegos, abduxerunt in petram, et, secundum legem Delphicam, pracci-  
pites dederunt. Transit quoque hoc supplicii genus ad Romanos, de  
quibus haec de Romulo refert DIONYSIUS HALICARNASSEVS <sup>s)</sup>: Ρωμαιων γαρ τινας ἐπι ληστια των πλησιωρων κατηγερθωντας ετε  
αφενεις ανδρας, ετε ολιγης εκελευσεν ωσι, κατακημυνε την διηνη  
ειπος μονος δικασας. Quosdam enim ciues Romanos, accusatos, quod  
in vicinorum agro latrocinia exercissent, viros, neque ignobiles, neque  
paucos, de saxo praccipites dari iussit, ipse solus eam poenam, sine alio-  
rum consensu, illis irrogans. Eadem refert laudatus DIONYSIUS HA-  
LICARNASSEVS. <sup>t)</sup> Τετο τελος της δικης λαθεσις αγεγοντες οι

τομιαν

q) Vid. Metamorphos. Lib. XIII, vers. 415.

r) Vid. Ei. Var. Histor. Lib. XI, Cap. V, p. 689. Edit. Gronou.

s) Vid. Ei. Lib. II, Antiqu. Rom. §. XLVI, p. 114. Edit. Oxoniens.

t) Vid. Ei. Lib. VIII. §, LXXVIII. p. 524.

ταρπια τον ανδρα επι τον υπερβειμενον της αγορας κηρυκον απαντων  
σρωτων ερειφων κατα της πετρας. Αυτη γαρ η τοις, τοτε Ρωμαιοις  
επιχωριος των επι θανατω αλοντων η καταλασις. Quare cum hoc  
iudicium hunc habuisse exitum, quaestores bonum ducum ad rupem  
foro imminentem, omnibus inspectantibus, de saxo praecepitem dederunt.  
Hoc enim supplicium capite damnatorum tunc Romanis erat vulgare.  
Saxum Tarpeum triste fuit huius supplicii spectaculum. De quo sup-  
plicii loco et genere fusius legi possunt: AVL. GELLIVS <sup>v)</sup> IO. RO-  
SINV<sup>s</sup> <sup>x)</sup> et PITISCVS. <sup>y)</sup> Ne vero extra orbitam profiliat medi-  
tatio, in viam, qua egressus sum, nunc redeo.

## §. XII.

Quae de funesta Israëlitarum strage, ab Hasaële futura, praedixē-  
rat Eliäeus, ad amissum sunt implera. Nec rex Iudeae expers fuit ha-  
rum calamitatum, quas eiuratus Iudeorum et Israëlitarum hostis, vtri-  
que regno, et Israëlitico, et Iudaico, tunc temporis intrulit. Quo igitur  
maiore inclarescat nostra in Hasaëlis res gestas commentatio luce, hoc  
filum Ariadnaeum sequamur, et oculos in vtrumque, quod diximus,  
regnum, conuertamus necesse est. Miror autem, plerosque historicos  
hoc momentum obelo haud notandum, propemodum silentio inuoluisse.  
Primo loco nobis explicanda erunt ea, quae Hasaëlem inter et Iehu,  
Israëlis regem, euenerunt longe tristissima. Iehu, ad regnum Israëlis  
euectus, multa quidem, diuino motus feruore, bene geslit, et stirpem  
Achabi, ad internacionem usque et interitum, a Deo iustissimo scelerum  
vindice excitatus, funditus deleuit, cultuque Israëlitico superstitionis  
strenue arietem mouit; sed se non omni ex parte, et toto ex animo,  
Deo probauit, inde factum est, ut misere vexaretur ab Hasaële, rege  
Syriae, proxime constituto. Audiamus huius historiae interpretem  
omnium maximum et certissimum, hunc in modum edifferentem: At-  
tamen Iehu non obseruauit, vt iret in lege Iehouah Dei Israëlis in toto  
corde suo: non receffit a peccatis Ierobeam, qui peccare fecit Israëlem.  
Ideo in diebus illis cepit Iehouah decurtare in Israële: percussit enim eos  
Hasaël in omni termino Israëlis. A Jordane versus ortum solis, totam  
terram Gileadis, Gaditam, et Rubenitam, et Menaschitam, ab Aroëre,  
quae super fluvio Arnonis, usque ad Gileadem et Baschanem. 2 Reg. X,

31, 32,

v) Vid. Noct. Attic. Lib. XI, Cap. XVIII, p. 309.

x) Vid. Antiqu. Romanar. Lib. IX, Cap. XXXI, p. 1500.

y) Vid. Lexic. Antiqu. Tom. II, p. 697.

31, 32, 33. Longe funestissima fuit haec, quam passus est Iehu, rex Israëlis, iactura. Abstulit enim, et in suam potestatem rededit Hasaël, quicquid omnino trans Iordanem situm fuit, tribum videlicet Ruben, Gad, et alteram partem tribus Manasse, quod ex terrae sanctae siti et terminis, testibus HADRIANO RELANDO<sup>2)</sup> SAM. BOCHARTO<sup>3)</sup> ADRICOMIO DELPHO<sup>b)</sup> et ANDREA MASIO,<sup>c)</sup> facile patescit. Quanta crudelitate hanc fertilissimam et amoenissimam regionem, magna copiarum vi in hos tractus irruens, deuastariit Hasaël, ut omnia caedibus, rapinis, et igne fuerint repleta, his verbis tradit FLAV. JOSEPHVS<sup>d)</sup> Hasaël autem, Syrorum rex, bellum cum Israëlitis, et Iehu, rege illorum, gerens, regionis transiordanæ tractus ad exortum solis, qui a Rubenitis, et Gaditis, et Manassitis occupati erant, vastauit, nec non terram Galaaditicam et Batanaeacam, incendia longe lateque faciens, et rapinas, et ne a caede quidem illorum temperans, qui in manus eius incidenter. Hic infelicissimus belli euentus, non solum regem Iehu ad animi vsque moerorem male habuit et momordit, sed et eum quoque ad incitas adeo rededit, vt filius ipsius, heres regius, Iacobus, vix manipulum equitum peditumque armatorum in castra ducre potuerit, vti 2 Reg. XIII, 7, legimus relatum. Quas in angustias regnum Israëlis fuerit redactum sub Hasaële inuasore, ex his verbis intelligere possumus : **הַלְלוּ יְהוָה לְקֹצֶת בִּשְׁעָל** Dominus coepit excidere in Israële. 2 Reg. X, 32. Indicat autem verbum קֹצֶת excidere, seu circumcidere terminos et fines regionum extremos, quod a MARIA A. CALASIO<sup>e)</sup> et EDMUNDO CASTELLO<sup>f)</sup> ex variis locis demonstratur. Habac. II, 10. Genes. XIX, 4. Exod. XXVI, 4, 10, 28. Mitto reliqua, de hoc excidio regni Israëlis, sub Hasaële facto, quae ex IACOBO SALIANO,<sup>g)</sup> ARTHVRO BEDFORDO<sup>h)</sup> IACOBO

VSSE-

z) Vid. Palaestin. Tom. I, Lib. I, Cap. I, p. 4. Cap. XXVIII, p. 163. et Tom. II, Lib. III, p. 582.

a) Vid. Hierozoic. Part. II, p. 628.

b) Vid. Theatr. Terrae S. Trib. Manass. p. 85. seq.

c) Vid. Commentar. in Iosuam, ad Cap. XIII, 7, 8, 9. p. 230.

d) Vid. Tom. I, Antiqu. Iud. Lib. IX, Cap. VIII, p. 491.

e) Vid. Concord. Hebr. Tom. II, ad h. v. p. 1364.

f) Vid. Lexic. Heptaglott. Tom. II, ad h. v. p. 3417.

g) Vid. Annal. Ecclesiastic. Tom. IV, ad ann. 3152, p. 143. seq.

h) Vid. Annal. Vet. et Nou. Testament. p. 42. seq.

VSSERIO, <sup>i)</sup> IO. FRANCISCO BVD DEO, <sup>k)</sup> et ANTONIO GRANDIO, <sup>j)</sup> addisci possunt.

### §. XIII.

Nec sola haec fuit calamitas, Israëlitis ab Hasaële inficta, sed aliud ex alio malum. Deuictis enim Israëlis regibus, Iehu et Ioachaso, sua vietria arma contra Ioasum, qui tunc temporis regno Iudee, angustis admodum terminis circumscripto, praerat, vertit Hasaël; quod est alterum momentum, in historia Hasaëlis rite tenendum. Hasaël, prospéro armorum successu vñs, nunc signa regno Iudee, eiusque regi Ioaso, fasces imperii illo temporis tractu tenenti, eximpruiso intulit. Primum quidem impetum fecit in urbem Gad, Philistacis quondam subiectam, Ios. XI, 22, sed successu temporis a Davide deuictam, et suo imperio submissam, 1 Paralip. XVII I, 1. 1 Reg. II, 39. Cum igitur terminos terrae sanctæ circumcidere Hasaël, suumque regnum ampliaret, ex re esse iudicauit, hunc tractum Philistaeis aliquando abreptum, sibi vindicare, eundemque suo denuo addere imperio. Respondit quoque consiliis et ausis euentus, vt 1 Reg. XII, 17. traditur: *Ilo tempore ascendit Hasaël, et pugnauit aduersus Gath, cepitque eam, et posuit Hasaël facies suas ad ascendendum contra Hierosolymam.* Vbi fauitem in hac expeditione expertus erat Hasaël fortunam, extra nidum suum ulterius extendit pennas, et sedem, quae Hierosolymæ erat, regiam occupandam, neroüs intentit. Ioasus, demortuo iamiam Ioiada, sanctissimo sacerdote summo, et remoto custode, seu rerum suarum moderatore prudentissimo, iuxta aefelicissimo, omnem exuerat pietatem et pudorem, adeo quidem, vt non solum superstitiosum, antea delerum, reuocaret cultum, sed et Zachariae monitori asper existeret, et filio optimi Ioiadae manus violentias, in ipso templi vestibulo, seu atrio, inferri pateretur. Quo scelere omnium maximo, vindictam diuinam, ab Hasaële exercendam, sollicitauit, quod vberius traditur: 2 Paralip. XXIV, v. 19-25. Ioasus, diuino iam auxilio, nec non viorum piorum et prudentum consilio destitutus, praeuidit, se infelici Marte contra Hasaëlem esse pugnaturum, inde id consilii iniit, vt, soluta magna opum vi, ex aerariis tam ecclesiastico, quam regio, deponpta, vrbis Hierosolymitanae excidium declinaret. Lege, fodes,

ipfa

i) Vid. The Scripture Chronology. Boock VI, Chap. II, §. 75, p. 639.

k) Vid. l. c. Seet. IV, §. XVIII, p. 501. seq.

j) Vid. Histor. Sacr. Lib. VI, §. CVII et CX, p. 212, 214.

ipsa verba: *Sum sit itaque Ios, rex Iudee, omnia sanctificata, quae sanctificauerant Iosaphat, Ioram, et Abasia, patres ipsius, reges Iudee, et sua sanctificata, et omne aurum, inuentum in thesauris domus Iehouae, et domus regis, misitque Hasaëli, regi Syriae.* 2 Reg. XII, 18. Tot igitur diuitiis et opibus satiata auri fame, Hasaël rediit in Syriam, et tantam apud suos inquilinos nominis aestimationem sibi comparauit, ut immortaliter memoria, in societate diuorum, aestimaretur dignissimus. Ea tradit FLAVIVS IOSEPHVS<sup>m)</sup>) hunc in modum commemorando: *Ipsè Adadus, seu Benhadadus, et Azaëlus, qui post eum regnauit, prodidit adhuc voluntur, propter beneficentiam eorum, et exstructiones templorum, quibus Damascenorum urbem ornarunt.* Quin et pompam illi quotidie ducunt in horum regam honorem, et de illorum antiquitate gioriantur.

## §. XIV.

Offert se adhuc dubium, quod prius est componendum, quam ad reliqua tractationis argumenta progrediamur. Si esstatum, 2 Reg. XII, 17. cum loco 2 Paralip. XXIV, 23. obuio comparamus, appareat, Hasaëlem hac victoria non fuisse contentum, sed, ob conditiones cum Iosao initas, deinceps autem forte denegatas, denuo bellum Iosao mouisse, quod ex his appetat verbis: *Vertente autem anno, ascendit, contra Iosafum exercitus Syri, veneeruntque in Iudam et Hierosolymam, perdidéruntque omnes principes populi, et multos de populo; omnem autem praedam eorum miserunt regi Damasci.* 2 Paralip. XXIV, 23. Ex hoc oraculo certo est certius, Hasaëlem Iosao rursus dicam scripsisse, manuque armata eundem esse adortum. Sententia nostra his veritatis firmamentis se sufficit: Quia primo certus, qui iam effluxerat, temporis articulus diserte adducitur: וַיְהִי לָתְקוֹפֶת הַשּׁוֹנֵה Et factum est in reuolutione anni, seu, postquam effluxerat annus, nouus autem decurrebat. Hoc spatium constituendum est post caedem, sanctissimo Dei nuntio Zachariae illatam, quam anno vix praeterito diuina infecuta est vindicta, memor suspirii Zachariae: Dominus hoc videbit, et vindicabit, v. 22. Qua in sententia suum calculum mihi adiicit ANTONIVS GRANDIVS.<sup>n)</sup> Prima igitur Hasaëlis in regnum Iudee inuasio, viuo procul dubio evenit Zacharia, purioris cultus vindice grauiissimo, de-

mor-

m) Vid. Opp. Tom. I, Antiq. Iudaicar. Lib. IX, Cap. IV, p. 483.

n) Vid. histor. sacr. Lib. VI, §. CXII, p. 216.

mortuo vero Ioiada. Ioiada ad annum aetatis centesimum trigesimum aspirauit, 2 Chronic. X X I V . 15. et per totum , exceptis saltem duobus ultimis regni Ioasi annis , regiminis spatiu m vixit, resque feliciter gubernauit. Ioasus septennis fuit cum regio diademat e adornatur, 2 Reg. X L 21. Si igitur hi septem anni ad quadraginta annos, quibus imperio praefuit Ioasus 2 Reg. XII. 1. conferuntur, emergit numerus XLVII. annorum. Et si haec aetatis, et regiminis ratio cum Ioiadae summi sacerdotis aetate computatur, prono fluu r nexus, laudatissimum Pontificem octogenarium, et quod exurrit fuisse, et circiter biennium ante hanc turpissimam regni Iudaici cladem, infelicissimamque Ioasi mortem naturae debitum soluisse. Fatis igitur iam cesserat Ioiada , tranquilla quiete dignissimus. Nec dubium est, quin tristiora adhuc futura praedixerit regi et populo fata Zacharias, quo vaticinio populi, secundis tantum rebus inhiantis, acerbitate m facile sollicitauit, seque rabie et vesaniae temulentorum reddidit obnoxium. Non exper-tem huius caedis fuisse regem, sacrae tabulae testantur; 2 Paralip. XXIV, 21. quo ipso beneficii a Ioiada quondam accepti immemor, detestandum posteritati reliquit ingratae mentis monumentum. Alterum, quo innitor argumentum, a ferali, quam perpepsi sunt Ioasi duces et milites, clade est petitum. Etenim traditur in excitato loco Paralipomenon, v. 23. *Venit in Iudeam et Ierusalem, et interfecit cunctos principes populi, atque vniuersam praedam miserunt regi Damascum.* At enim vero in priori belli motu nulla accidit inter Hasaëlem et Ioasum pugna, sed Ioasus, virium suarum admodum debilium conscientius, omnia prius verbis et muneribus, quam armis, experiri voluit, et bene quoque et sapienter fecit. Opimis itaque placatus muneribus, in Syriam reuer-sus est Hasaël, ea fine dubio conditione, vt tributum quotannis expenderet Ioasus, iamiam deuictus et in potestatem redactus. Causa itaque huius belli, Hasaëlem inter et Ioasum denuo enati, fuit vel denegatum Hasaëli triburum quotannis soluendum, vel apparatus, quem instruxit clanculum Ioasus, insignis, vt iugum Syrorum excuteret. Traditur enim versu 24. *Cum paucitate virorum venerunt exercitus Syri, sed tamen Deus dedit in manum eorum exercitum, iuxta multitudinem ingentem, ideo, quod deseruerant Iehouah, Deum patrum suorum.* Colligere inde licet, Ioasum exercitum instruxisse fatis validum, atque Hasaëli cornua sua iam demonstrasse minacia, cum antea, ex improviso quafi, deuictus succubuisse. Opposuit autem vix manipulum Ioaso rex Syrorum, et victoriam omnibus numeris absolutam deportauit,



superiorque erasit; quia optimates et proceres populi vel in paelio oppresi, vel capti tandem caesi sunt.

§. XV.

Eruamus alia argumenta, nobis amica. Accedit *tertia* ratio, quia rex Iosafus non solum inferior ex paelio decessit, sed et vulnera accepit extialia, quod eodem commate traditur. At historiae series contrariatur, in prima, quam saepius excitauius, belli expeditione ab Hasaële suscepit, eo esse deuenit, ut manus conseruerint Iudaei cum Syris. Stabilis proinde nostra est sententia, in ultimo hoc armorum strepitu regem Iosafum hoc lethali vulnere esse adfectum. Concinuit *quartum* argumentum, quod nobis eadem tradit historia, praedam ad regem in urbem Damascenam esse missam, quod documento est longe firmissimo, ipsum Hasaëlem huius paelii antesignanum non fuisse, sed rem gerendam suis belli praefectis demandasse, qui immanni crudelitate in Iudeos, paelio deuictos, prorsusque prostratos, saeuierunt. Certum autem est, Hasaëlem in priori belli apparatu et expeditione agmen duxisse, quod in vado est. Qua in commentatione testes habeo: AVGUSTIN. CALMETVM,<sup>o)</sup> LVD. EL. du PINIVM,<sup>p)</sup> ARTH. BEDFORDIVM<sup>q)</sup> et IAC. SALIANVM.<sup>r)</sup> Sicco vero pede hoc momentum in historia Iosaf et Hasaëlis fatis illustre prætererunt. IO. CLERICVS,<sup>s)</sup> NATALIS ALEXANDER,<sup>t)</sup> AVGUST. TORNIELLV<sup>v)</sup> et MARTINO de St. PHILIPPO<sup>x)</sup> aliqui non obefae naris historici, qui in prima tantum inuasione acquiescunt. Opinionis meae vindicem habeo JOANNEM MEYERV<sup>y)</sup> qui haec tradit: *Mibi duo diuersa paelia fuisse videntur. In libro Regum primum commemoratur; Tunc ascendebat, etc. i. e. tunc, quum in oculis Domini facerent malum, ascendit Chazaët Gathum, quam David acceptat*

<sup>o)</sup> Vid. Opp. Tom. II. ad h. Paralipom. I. p. 650. Conf. Histoire universelle, Tom. I, Livr. VI, p. 486. seq. Dictionnaire historique sur la Bible, Tom. II, voi Hafaël, p. 547. seq.

<sup>p)</sup> Vid. Histoire ecclésiastique, Tom. I, p. 332.

<sup>q)</sup> Vid. I. c. Book VI, Chap. II, §. 83, p. 642.

<sup>r)</sup> Vid. I. c. §. III, p. 158. 159.

<sup>s)</sup> Vid. Commentar. ad II Ephemerid. Cap. XXIV, v. 23, p. 613.

<sup>t)</sup> Vid. Histor. ecclésiast. V. Test. Tom. II, Cap. I, art. IV, p. 112. seq.

<sup>v)</sup> Vid. Tom. II. Annal. sacr. ad ann. 3157, p. 61.

<sup>x)</sup> Vid. I. c. Tom. III, vie Joas, p. 32, seq.

<sup>y)</sup> Vid. Annotationes in Seder olam, Cap. XVIII, p. 940.

perat a Philistinis; et conuertebat Chazaël faciem suam, ut ascenderet contra Hierosolymam. Ichobas igitur, sibi ab eo metuens, accepit omnia sacra etc. eaque misit ad Chazaëlem, et discessit ab ea. In reuolutione anni, ex quo hoc bellum fuit, occiderunt Zachariam in atrio domus Domini, ex paecepto regis, 2 Chron. XXIV, 21. Post illud erat bellum alterum ibidem in Chronicis commemoratum. Ad hoc secundum praelium Chazaël non videtur ascendisse, sed eius copiae, numero paucae ascenderunt Hierosolymam; coram quibus filii Iehudae cederunt. Tunc perdidérunt omnes principes populi, et rotam eorum pae-dam miserunt ad regem Damasci. Tunc Ioachim in paelio percusserunt, vbi in morib[us] grauissimis est relictus. Obiici quidem posset, in hoc librorum Regum et Paralipomenon dissidio forte auctoritatem scripturae sacrae venire in discrimen; sed hoc diuortium tantum non est, ut periculum diuinis veteris Testamenti libris immineat. Etenim quisquis dénum sit librorum Chronicorum auctor conditorque, certum est, illum alium, quam auctorem librorum Regum, in conscribenda historia, ob oculos habuisse scopum, et res ex annalibus et actis publicis prolixius gestas tradidisse, quod vel inde colligitur, dum caedes Zachariae illata, singulare sane argumentum, in libris Regum praeteritur. Salua itaque manet horum librorum auctoritas, quam S. V. IOANNES GOTTLÖB CARPZOVIVS,<sup>2)</sup> MICHAEL WALTHERVS,<sup>a)</sup> et DV PINIVS,<sup>b)</sup> multis, iisque grauissimis, stabiluerunt argumentis. Reliqua, quae ad historiam Hasaëlis et Iosæ spectant, rei capita persequuntur laudati auctores: IACOB SALIANVS,<sup>c)</sup> FRID. SPANHEMIVS,<sup>d)</sup> et ARTHVR. BEDFORDVS.<sup>e)</sup> Sufficere haec possunt instituto nostro, quo res ab Hasaële gestas in compendio trahere placuit.

## §. XVI.

- 2) Vid. Introduc[t]t in libr. biblic. Vet. Testamenti, Part. I, Cap. XVI, de libro Chronicorum, p. 270 seqq.
- a) Vid. Officina Biblica, de Libr. Paralipom. p. 415. sequ.
- b) Vid. Dissertat. préliminaire sur la Bible, liv. I, cap. III. §. V, p. 81. seqq.
- c) Vid. I c. ad ann. 3187, p. 159. seqq.
- d) Vid. Opp. Tom. I, Histor. Ecclesiast. Epoch. VI, Histor. Reg. Iudee et Israëlis, §. VIII, p. 379.
- e) Vid. I. c. §. 82, p. 641. seqq.

## §. XVI.

Reliquum est, ut modum, quo vsus est Deus in hac reuelatione Elisaeo facta, enixius diluamus. Varios fuisse quondam reuelationis diuinæ modos, bene asserit Paulus, Hebr. I, 2. Distinguuntur illa reuelatio olim facta, si modum species, in immediatam et mediatam. Immediata est, quae a solo Deo, nulla intercedente persona, aut symbolo externo adhibito, Prophetis et Apostolis contigit. Ita nimurum Deus cum Protoplatis, Patriarchis et Moſe, per internam reuelationem locutus est, et nullis vsus est Spiritus Sancti signis et symbolis; quod sanctissimus Dauides de se adfirmat: רְחֵלָה יְתַהַּר דָּבָר־בָּי Spiritus Iehouah in me locutus est, 2 Sam. XXII, 2. Mediata dicitur illa, quando interuentu ſenſium et signorum exterritorum Deus ſua arcana Prophetis et Apostolis manifestauit. Et haec mediata reuelatio varios modos ſuo ambitu complectitur, potissimum autem ſomnia, visiones, auditum et ecclafin. Quos modos, ſi recta tecum reputes via, videbis hanc rerum futurarum faciem Elisaeo per ecclafin contigisse, quod haec verba haud obſcure innuunt: וַיֹּאמֶר אֶת־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל עֲדָר — בָּשָׁן. Et stetit cum eo, et conturbatus est usque ad ſuffusionem vultus. v. II. Ea enim mentis et ſenſium perturbatio in ecclafin plerumque contigit, ut homines extra ſtatum naturalem poſiti, res ſublimiores vel intellectui, vel etiam ſenſibus externis obuias, defixa mentis acie contemplarentur. Illa igitur ipsa ecclafis, quaē nec naturalis, nec ſicta, ſed vere diuina fuit, talem inuoluit actum, quo Spiritus Sanctus totam Prophetæ mentem inuadens et replens, eamque a corporis commercio ad tempus abſtractam, meditationibus rerum diuinarum, earumque occularum, intentam fecit. Coniuncta vero fuit cum hac ecclafis, ſeu abſtraktione, mentis a corpore, ipsa reuelatio, quaē per repreſentationem aliquam, vel intellectualem, vel ſymbolicam, vel in ipso ecclafis actu ſenſualiter facta, vel ipsum infœcta est; quod Danieli, Petro, Ioanni, nec non Elisaeo, accidisse arbitramur Dan. X, 8. 9. Act. X, 9, 10, 11. et Apocal. I, v. 17. De qua ecclafis fusius legi potest HERMANNVS WITSIVS<sup>f)</sup>. Poterat igitur Elisaeus, hoc afflatu et reuelatione dignatus, Hafaëli ſerena fronte opp̄nere: הוּא עַתִּי v. 12. Quae vox יְהֻעָה hoc in effato de tali notitia ſumitur, qua species rei in cognofcente, vel ſenſu, vel intellectu producitur. Vtrumque significatur haec vox יְהֻעָה quantum ex Genes. XIX, 33, 35, et Leuit. V, 3. et

f) Vid. Miscell. Sacr. Lib. I, Cap. IV, de Ecclafis, p. 19. seq.

et 4, 2 Sam. II, 26, colligimus, commode fustinet. Id equidem non diudico, vtrum solo intellectu, an sensibus externis totum, rerum ab Hasaële gerendarum, viderit negotium. Credibile est, in hac ipsa ecclasi saceralem hanc, quae Israëlis ab Hasaële imminebat, fortē, in imagine esse oftensam, et triste illud stragis, caedis, et incendii spectaculum Elisaeo seſe, veluti in speculo, obtulisse, qua in sententia **CASP. SANCTIO**<sup>g)</sup> lubens suffragium addo. Copiosa et distincta omnium facinorum et malorum, Iudeis inferendorum, enumeratio, me in eam inducit opinionem, vt flattuam, Elisaeo idem, quod deinceps accidit Ezechiel agrum ossibus inspersum videnti, Cap. XXXVII, vñ euenisſe, et tristissimum Iudeorum cladem, his suis quasi oculis, praeuidisse. Ex hac ipsa reuelatione, cuius particeps sanctus erat Eliaeus, profluxit ipsius vaticinium, de rebus ab Hasaële gerendis suprallatum, quod documentum est omnium certissimo, hanc reuelationem diuinae inspirationis esse testem. Id saltem sub calce huius capititis monere licebit, varias tricas nugasque fouere Rabbinos circa hanc vocem רְאֵן a qua verbum וְרָאֵנִי hariolus, sciolus, rerum futurarum diuinator, descendit. Somniant, hos futurorum interpretes et debuccinatores ossiculum cuiusdam auis, quae Iiddoah שְׁרֵךְ appellaretur, ori suo imponere, et in statum praeternaturalē et extra ſē positos, tacente ore, oracula extrudere, de quibus apinis Maimonides, in Hilchoth, Cap. VI, §. 2, 3, Avbarbel ad Iesaiæ Cap. VIII, et Michlal Iophi, ad Leuit. Cap. XX, 27, agunt; hoc saltem discrimine, vt alii auem, alii bestiolam, quae שְׁרֵךְ appellatur, esse statuant, quod non praeterit **JOANNES BXVTORFFIVS**<sup>h)</sup> Extitisse apud gentiles, eorumque hariolos et fatidicos, auem, quae ipsi dicitur Ἰύγξ, quam Grammatici Graeci σειστυγίδα, et κυάιδος, Latini vero motacillam, torquillam, nec non batticaudam nominare solent, testes sunt: **CLAVDIVS SALMASIVS**<sup>i)</sup> **JOANNES POTTERVS**,<sup>k)</sup> et **JOANNES SCHEFFERVS**,<sup>l)</sup> quorum commentationes huic Rabbinorum figmento lucem adserunt. Manum autem ab hoc argumento retraho, ne tricis Rabbi-

g) Vid. l. c. p. 1442. seq.

<sup>h)</sup> Vid. Lexicon. Hebr. Rabbinic. ad h. v. p. 937.

i) Vid. Exercitata, Plinian, in Caii Iulii Solini Polyhistor. Tom. II, Cap. XLV, p. 662.

k) Vid. Archaeolog. Graec. Tom. II, Lib. IV, Cap. X, p. 240.

<sup>1)</sup> Vid. Graeuii Thesaur. Antiquit. Roman. Tom. XII, in syntagmate de Antiquorum Torquibus, Cap. I, p. 911.

norum indulgere, et vati sacro, qui nullis usus est fidiculis, nulloque fatidicorum officulo, in vaticiniis proferendis, labem afferre videar.

§. XVII.

Palmariis nunc circumstantis, quae ad effata nostra pertinent, breuiter expensis, ad nostrum, quod nobis proposuimus, recto pede progredimur institutum, demonstraturi, has profulas Eliae lacrimas diuinae revelationis et inspirationis fuisse indices. Quo in explicatione Scripturae Sacrae rite nostra defungamur prouincia, omnia, et leuisissimi quoque primo obtutu ponderis momenta, in quouis oraculo sacro expiscari, et gessus dicentis agentisue explorare debemus, quod rei hermeneuticae conditores, IO. IACOB RAMBACHIVS, <sup>m)</sup> et GVIL. CHRIST. IVST. CHRYSANDER, <sup>n)</sup> eleganter exposuerunt. Etenim diuinus ille, quo impulsi dixerunt et scriperunt Prophetae et Apostoli, Spiritus, neque sustulit, neque mutauit horum virorum sanctiorum naturam, et animi indolem, sed sanctificauit, et omnes affectus carnales adeo temperauit, ut facile se causa impulsuia sublimior in ipsorum affectibus, quibus vis sunt in suis vaticiniis, vel ore, vel calamo prolatis, proderet. Vbi igitur signum aliquod in his viris diuinis occurrit insolens, et pro rei circumstantia infuetum, ibi nulla est dubitatio, subesse aliquem diuinorem affectum, qui hoc signo externo in publicum prorupit spectaculum. Id enim a fide et integritate horum Prophetarum maxime est alienum, alia simulare, alia vero dissimulare, et affectus more parasitorum, aut mimorum formare, ut speciem modo doloris et tristitia, modo laetitiae et gaudii, modo fervoris et iracundiae, modo denique admirationis et stuporis, praeferant, et aliis fucum faciant, suaque oracula gypsatisimis manibus quasi tradant. Verum est mortalia adfectus, per naturam suam varios in corpore humano producere motus ac gestus; quod nullus, qui aliquid humani vñquam passus est, inficias ibit. Anima enim nostra argumento vel tristi, vel laeto occupata, in vultu et corporis situ, et eiusdem gestu, statim efficiet signa externa, vel tristitiae, vel laetitiae indices. Quid? quod Prophetas, et reliquos voluntatis diuinae interpretes fuisse ἐμοιωπαθεῖς, homines, iisdem, quibus nos afficiuntur, affectibus et animi motibus obnoxios, certum est. Ecquis igitur vellet adserere,

hos

m) Vid. Hermeneut. sacr. Lib. II, Cap. III, p. 122.

n) Vid. Exercitat. Academic. de representatione actionis, h. e. pronunciationis ac gestus, tanquam subsidio hermeneutico, §. I, p. 1. seq.

hos sanctos Dei legatos sine adfectu, veluti trunco et lapides, dixisse  
et scripsisse? Quo maior vero et vehementior diuinus, qui ipsis con-  
tigit, afflatus, quo ardenter quoque ipsorum animi indoles, tanto  
illustriores quoque fuerunt ipsorum in docendo et scribendo animi  
motus, quod argumentum ex instituto persecuti sunt: IO. CONRAD.  
DANNHAVERVS, <sup>o)</sup> FRIDERICVS QVIRINVS GREGORIYS, <sup>p)</sup>  
nec non LAMIVS. <sup>q)</sup>

## §. XVIII.

Nolle tamen hanc motuum et adfectuum moderationem ita in-  
telligere, quod diuini scriptores se passiue, veluti instrumenta adfectuum  
expertia, habuerint, quo in argomento ATHENAGORAE,<sup>r)</sup> excellen-  
tissimi quondam Christianorum ad Imperatores Marc. Aurelium Anto-  
nium, et L. Aurelium Commodum, legati, verba de hac inspiratione pro-  
lata, cum grano salis sunt recipienda. En illa ATHENAGORAE <sup>s)</sup>  
verba: Προφήται κατ' ἐκπασιν τῶν ἐν ἀντοῖς λογισμῶν πνήσαντος  
ώντες τῇ Θείᾳ πνέωματος, οὐδὲ ἐνηγγέντο ἐξεφώνησαν. συγχρησμένα  
τῇ πνέωματος, ὧστε οὐ ἀνλητῆς, αὐλὸν ἐμπνεῦσαι. Prophetae, extra  
se suasque cogitationes positi, diuini spiritus impulsu, quicquid ille in ipsis  
efficiebat, eloquentur; quam Spiritus eis, seu organis uteretur, ut tibi-  
is ad instantium vti solet tibicen. Verum est, sacros Prophetas et viros  
diuino afflatu repletos fuisse Spiritus sancti instrumenta; attamen non  
omnes humanos exuerunt adfectus, neque in lapides sunt mutati, quod  
ipia historiae sacrae documenta satis luculenter tradunt. Satis concinne  
de hac inspiratione virorum sanctorum scribit HERMANNVS WIT-  
SIVS <sup>t)</sup> Fuerunt quidem Apostoli instrumenta Spiritus Sancti, sed ratio-  
naliam, suo enim intellectu, iudicio et sermone vtebantur, ita tamen, vt in  
eorum omnium vsu dirigerentur a Spiritu Sancto. Qui non adimebat ra-  
tiocinandi facultatem, quam natura concesserat; sed eam, coelesti lumine

colla-

o) Vid. Hermeneut. Sacr. p. 347.

p) Vid. Dissertat. de Temperamentis Scriptor. N. Test. eiusque doctri-  
nae vsu.

q) Vid. de Ingeniis Apostolor.

r) Vid. Cel. Christ. Nicol. Kochii Commentat. de Legation. Ecclesiastic.  
Vet. Christianor. cum praefat. S. V. Io. Georg. Walchii, Sect. II, §. III,  
p. 45. edit. Iena, M DCC XLVII.

s) Vid. Ei. Apologia, f. Legatio pro Christianis, p. 286. In operib. Iustini  
Martyris, aliorumque Apologeter. edit. Benedict.

t) Vid. Miscellan. sacr. Lib. I, Cap. XXII, §. 19, p. 337,

*collustratam, et circa ponderosam banc quaestione meditationibus suis  
occupatanam, arcana sua virtute, ita in iudicando gubernabat, ut, quod ipsis  
videbatur, re vera dictamen Spiritus Sancti esset.*

## §. XVIII.

Insolens haec Prophetarum sacrorum gestuum in vaticiniis suis et extrudendis, et confirmandis, confuetudo, qua animos mortalium mirum in modum exacerbat, stimularuntque, ad gentilium deinceps oracula et sacrificulos abiit, qui, quo tanto magis hominum animos fletenter demulcerentque, et suis oraculis diuinam aliquam, si dicere fas est, conciliare auctoritatem, inusitatum corporis gestuumque externorum praebuerunt plerumque spectaculum, et homines obesae naris his fidiculis et subdolis artibus sumimani deduxerunt in mentis admirationem. Nolo iam cum ANTONIO DALLAEO <sup>v)</sup> et S. V. CHRIST. AV G. HEVMANNO <sup>x)</sup> ad concertationem descendere, et has insolentes et miras agitationes, quas in gentilium oraculis obseruamus, tantum ad sacrificiorum fraudes et fallacias referre, si quidem nullus dubito, quin maligni spiritus hic quoque intercesserit opera. Quicquid huius rei sit, id saltem in vado est, gentilium simulacra in oraculis effundiendi, ut diabolus Prophetarum et Apostolorum eluderet inspirationem vere diuinam, motus, gestus, et agitationes prodigiosas, obscoenas, et propudirosas, plerumque edidisse. Quo ipso spectaculo, in admirationem et stuporem abrepti sunt homines plebeii et veruecini, rati, aliquid malum corporis agitatione, lacrimarum profusione, aut eiulatu, portendi. Ast acutioris ingenii inter gentiles viri, has sacrificiorum cum deorum dearumque simulacris gesticulationes praestigiasque irriserunt, nec non exploserunt, e quo censu est LUCIANVS, <sup>y)</sup> de Pythiae furore commemorans: Τί ποτε ἔρεις, ὁ τεκνον; ως τα γε πρὸ τῆ χειρομή, τάντα ἥδη Φοβερό; ἡ χρόνια τετραμένη, ἐι ὄφθαλμοι περιφερεῖσι, κόμηι ἀνασθεμένη, πλήρης πορυβαντῶδες, ἡ ἔλως, κατόχυμα πάντα, ἡ Φρυνώδη, ἡ μύτινα. Quia tandem dicas, fili? Quam vero, quae oracula prædictionem antecedunt, quae plena terroris sunt? Nempe color pallore

v) Vid. Dissertat. de origine et progressu idololatri et superstition. et prophetae falsae, Part. II, Cap. I, p. 227.

x) Vid. Dissertat. de miraculis Vespasiani Imperator. §. IV, V. p. 6. sequ. Ien. 1702.

y) Vid. Opp. Tom. III, in Ioue Tragoedo, p. m. 445.

*pallore immutatus, oculi hinc inde mobiles, comarum semet erigentium horror, motus corporis furore incertus, ac omnino omnia numinis praesentiam testantia, et mysteriis plena sunt omnia.* Illae ipsae, Pythiae fatidicarumque mulierum, agitationes eum in finem sunt adhibitae, ut plebi opinionem mysteriorum, et persuasionem diuinæ inspirationis, ingenerent, et cultum ipsum his spectaculis redderent illustriorem. Quin et calidi et spurci horum oraculorum ministri, quos appellamus: sacrificulos, iisdem motibus et gestibus corporis furiosis et rabidis, in cultu suo superstitione peragendo, sunt vni, vt credula mortalium fex, hos homines diuino afflato perculfos, et fulmine quasi coelesti percitos esse, crederet. Lege, fodes, LVCIANI<sup>2)</sup> de his sacrificiolorum imposturis et spectaculis verba:

Bacchatur demens aliena per antrum  
Colla ferens, vittasque Dei, Phoebeaque ferta.  
Erectis discussa comis, per inania templi,  
Ancipiit cervice rotat, spargiturque vaganti  
Obstantes tripodes, magnoque exaestuat igne,  
Iratum te, Phoebe, ferens,

Eiusdem furfuris sunt, quae de harum mystiarum vaga et fatidica inspiratione refert VIRGILIVS,<sup>3)</sup> decantando:

Ait Phoebi nondum patiens immanis in antro  
Bacchatur vates, magnum si pectore possit  
Excussisse Deum; tanto magis ille fatigat  
Os rabidum, fera corda domans, singitque premendo.

### §. XX.

Quanto vero illustrior nobis est haec oraculorum et fatidicorum fraus, qua totum propemodum effascinarent orbem; tanto maior nostra est admiratio, Romanam ecclesiam, discussis iamiam superstitionis tenebris, easdem imitari fraudes, e ciuitate Christiana dudum eliminatas. Eadem fide et auctoritate, qua olim gentiles suis deorum simulacris aliquid diuini et prodigiosi vindicarunt, iamiam Romanenses reliquiarum et imaginum prodigia et motus vrgent, vt diuinæ virtutis, vel faltem afflati et motus, has imagines esse particeps, afferant. Plena sunt

2) Vid. Pharsal. Lib. V, p. m. 121.

3) Vid. Aeneid. Lib. VI, v. 77. sequ.

sunt gentilium de his prodigiis scripta. CICERO<sup>b)</sup> ante Leuctricam pugnam, Lacedaemoniis exitialem, Herculis simulacrum sudorem exaestuasse tradit. Idem infaustum futuri exitii portentum accidisse Thebanis, testis est DIODORVS SICVLVS; <sup>c)</sup> vt PLVTARCHVM, <sup>d)</sup> LIVIVM, <sup>e)</sup> et FLORVM, <sup>f)</sup> aliosque horum commentorum scriptores, praeteream. Easdem fraudes nunc in Romana ecclesia esse obuias, exiguo, vel nullo eget testimonio, si saltem vaseulum, sanguine fictio Christi refertur, quondam apud Halefios reconditum, ex GILBERTO BVRNETO <sup>g)</sup> fluxum sanguinis sancti Iauarii, ex IOANNE MABILLONIO, <sup>h)</sup> et crucis affabre, ad decipiendos homines, factas, apud Albatos, ex HENRICO SPONDANO, <sup>i)</sup> didiceris. Vnicum latet rei demonstrandae documentum mihi incidit in mentem, quod nostris piorum vatum lacrimis respondere videtur. Prostas Romae facillum, <sup>k)</sup> quod appellatur Mariae Lacrimosae, quia, ob iurgia quorundam hominum, et animi, qua alter vsus est, duritiem, lacrimae ex imagine Mariae, parieti infixa, profluxisse feruntur. Quod miraculum, seu potius prodigium, tantum inter supersticiosos homines excitavit stuporem, vt templum Mariae lacrimosae exstruerent, et societatem nouam in Mariae lacrimosae honorem et cultum inirent. Quid igitur haec imago Mariae lacrimas effundentis aliud est, quam instrumentum, quo Romanenses fictam aliquam diuinitatis notam comminiscuntur? Ast maximum, meo quidem iudicio, inter has sanctiorum vatum, et imaginis Mariae, reliquarumque imaguncularum, lacrimas intercedit dicerimen; quia illae graui Spiritus Sancti impulsu, hae vero sacrificulorum artificio et dolo, excitatae promanant. Nemo quoque sagacioris ingenii animum inducet, vt credat, imagines, statuas, et reliquias, vitae, affectuum, et naturalis humoris, rerumque omnium, tam faustarum, quam infaustarum, exper-

b) Vid. Lib. I, de Diuinat. p. m. 175.

c) Vid. Lib. XVII, p. m. 383.

d) Vid. Opp. Tom. II, in vita Alexandri, p. 671.

e) Vid. Lib. XXII, Cap I, p. 220.

f) Vid. Lib. II, Cap. VIII, p. m. 544, in Histor. scriptor. Latijor.

g) Vid. Histoire de la Reformat. en Angleterre, Tom. II, p. 168.

h) Vid. Mus. Italic. Tom. I, Part. I, p. 106. Conf. b. Gottl. Wernsdorffii Dissertat. de sanguinis St. Iauarii fluxu miraculoſo, et inde apud Neapolitanos oriundo cultu. Witteberg. 1710.

i) Vid. Annal. Baronian. Ecclef. Continuat. Tom. I, ad ann. MCCCXCIX. pag. 671.

k) Vid. Roma noua, Cap. V et VI, p. 280.

expertes, lacrimas emittere posse. Parum itaque abest, quin de hoc lacrimarum fluxu illud, quod CICERO<sup>1)</sup> de prodigiis gentilium adferuit, cum veritatis firmamento adfirmem: *Sanguinem pluisse, senatu*nunciatum est, et Deorum simulacra sudasse: Num censes, his nuntiis Thaletem, aut Anaxagoram, aut quempiam Physicorum, crediturum fuis-  
se? Nec enim sanguis, nec sudor, nisi in corpore est.**

## §. XXI.

Nec intra Romanae ecclesiae pomoeria se continuuit haec fiditia inspirationis ratio, sed et extra illius limites vagata est, et plurimas regiones occupauit. Extiterunt enim in Anglia, Gallia, Belgio, et aliis terrarum tractibus, homines, quos inspiratos compellare solemus, insolentibus corporis gestibus conspicuos, quorum fata et artes, ut fuisus recensem, ab instituto alienum est; sed defuncti sunt hac opera: GVLIELM PENNIVS,<sup>m)</sup> IO. HENRIC. OTTIVS,<sup>n)</sup> GVL. PENNIVS,<sup>o)</sup> ROBERTVS BARCLAIVS,<sup>p)</sup> SAMVEL TVRRETTIVS,<sup>q)</sup> nec minus S. V. IO. GEORG. WALCHIVS,<sup>r)</sup> et alii non lenti nominis viri. Quid mirum, hos inspiratos, ex hoc vario et insolenti corporis et gestuum motu, nomina Tremulorum, Conuulsionario-rumque esse fortitos. Modo enim in lacrimas, modo in singultus, modo in suspiria, modo in oculorum et manuum distractio-nes, modo in somnia, modo denique in risus, proruperunt, vt, cum stupore et admiratione, aliis praebenter spectaculum horrendum et deforme. Etenim medios hos inter corporis motus, et gestus, se inspirationis fieri particeps, dicere non erubuerunt. Sed quam leuis haec gesitculatio verae inspirationis sit nota, horum homuncionum deliramenta satis euidenter demonstrarunt.

## §. XXII.

Mittimus autem has imposturas, et ementitae inspirationis signa, et ad graue illud, maximeque palmarium in nostra commentatore, argumen-

1) Vid. de Diuinat. Lib. II, p. 208.

m) Vid Primitive Christianity Revived in The Faith and Practice of the People callad Quakers, Lond. 1699.

n) Vid Annales Anabaptisci s. Historia de Anabaptistarum origine, progressu, etc. Bafil. 1672 Conf. Histoire des Anabaptistes, a Paris. 1695.

o) Vid. Histor. Quakerorum, 1742.

p) Vid. Apologiae Theologie intet Quakers, 1741.

q) Preservatif contre le Fanatisme, Genev. 1723.

r) Vid. Introduction. in Controuers. Rel. extra Eccles. Lutheran. Part. I,

p. 583, seqq. et Part. IV, p. 645, seqq.

gumentum transimus, demonstraturi curatus, hos inusitatos apud veteres Prophetas motus et gestus, non fuisse fictios, sed a motu Spiritus Sancti, eiusque inspiratione, ortos. Quod si enim reuelationem et inspirationem fustuleris, omnis omnino cadet sacrae scripturae, tam Veteris, quam Noui Testamenti, diuinitas, quod egregie docet MARTINVS,<sup>5)</sup> haud incelebris quandam apud Ultraicinos ecclesiae minister. Inspirationem enim et reuelatio arctissimo inter se esse iunctae sunt vinculo. Si enim inspiratio diuina pericitatur, ipsa reuelatio in discrimen venit, et omnia illa arcana et mysteria, quae reuelatio tradit, vel ab humano ingenio, vel impostura et fraude hominum sagacissimorum, prolata et excogitata esse dixeris. Multum igitur intereft, ut hoc reuelationis et inspirationis principium in tuto collocetur, atque religioni, quam colimus, Christianae sua auctoritas referuetur. Reuelatio, si hanc vocem in sensu latiori sumas, inspirationem in ambitu quidem suo complectitur; sed limitibus paulo arctioribus circumscripta, tantum pro manifestatione rerum, quae prorsus ignorae et absconditae essent nisi Deus, pro sua benignitate eas ad notitiam nostram produxisset, plerunque usurpat. Inspiratio vero rerum, nec non verborum suggestionem, indicat, quae scriptoribus, diuina luce collustratis, oppido erat necessaria, ut res et verba ab ipsis tradita extra omne erroris periculum ponerentur. Ea igitur, quae reuelatio proponit, eo potissimum nomine et veritatis firmamento nituntur, quia diuinitus sunt inspirata, quod excellenter confirmat sanctissimus Petrus: *Hoc primum cognoscentes, quod omnis prophetia scripturae propria interpretatione non sit.* Non enim voluntate hominis allata est aliquando prophetia, sed a Spiritu Sancto acti locuti sunt sancti Dei homines. 2 Petr. I, 20, 21. Ex hoc momento apparet, reuelationem quidem nexus fororio cum inspiratione esse coniunctam; ita tamen comparatam, ut inspiratio altioris omnino sit indaginis, et virum aliquem Θεόπνευσον, qui inspiratione rerum et verborum usus sit, potissimum indicet. Etenim existere potest reuelatio rerum sanctorum, sine inspiratione et suggestione rerum et verborum. Reuelatio enim modum, et res diuinas manifestatas, in genere concernit; non autem ipsam inspirationem rerum et verborum; sed arcanorum per symbola, somnia, visiones, aut soliloquia, manifestationem. Abrahamus, Isaacus, Iacobus, aliique primitiuae ecclesiae proceres, reuelatione multis in rebus gauisi sunt sanctioribus, quum tamen inspirationem rerum et verbo-

s) Vid. Traité de la Religion Révélée, Part. I, Chap. III, p. 27.

verborum cum reuelatione non haberent sociam. Inspiratio proinde simul inuoluit impulsum et alium, quo, per gratiosam Spiritus Sancti operationem suggerita sunt ea, quae erant vel dicenda, vel conseribenda. Hoc eminentiori significatu, se appellat Dauides virum inspiratione collistratum רוח יהוָה רְבָרֶבֶי וּמְלֹתָה עַל־יִשְׁוָבֵן; *Spiritus Dei locutus est in me, et sermo eius fuit super lingua mea.* 2. Sam. XXIII, v. 2.

## §. XXIII.

Reuelationem diuinam de rebus sanctioribus, hominibus scitu et creditu necessariis, eiusque et possibilitem, et necessitatem, tam validis rationibus stabiluerunt: EDWARDVS STILLINGFLEETVS, <sup>1)</sup> DANIEL WITBIVS, <sup>2)</sup> IACOBVS VSSERIVS, <sup>3)</sup> MARTINVS, <sup>4)</sup> IAC. BERNHARDVS, <sup>5)</sup> IO. LENGVIS, <sup>6)</sup> ISAACVS IAQUELOTVS, <sup>7)</sup> THOM. BECCONSALLVS, <sup>8)</sup> PHILIPPVS MORNAEVVS, <sup>9)</sup> CLARCKIVS, <sup>10)</sup> LVC. MILBVRNIVS, <sup>11)</sup> et IOACH. BOESNIERVVS; <sup>12)</sup> vt eorum argumenta, ab imperfectione luminis naturae, et conditione hominis, perita, repetere nolim. Duo vero in reuelatio-

<sup>1)</sup> Vid. Origin. sacr. Lib. II, Cap. VI, §. II. seq. p. 119, a Cambridge.

<sup>2)</sup> Vid. A Discourse of the Necessity of the Christian Reuelation by Reason of the Corruptions of the Principles of natural Religion, Chap. II, p. 49. seq. §. I, a Lond.

<sup>3)</sup> Vid. A Body of Divinity or, the sum and substance of Religion Christian, p. 4, seq. a Lond.

<sup>4)</sup> Vid. Traité de la Religion Revelée Prem. Part. Chap. III, p. 19. seq.

<sup>5)</sup> Vid. de l'Excellence de la Religion, Livre second. Chap. III, p. 113.

<sup>6)</sup> Vid. Natural obligations to Believe the Principles of Religion and divine Revelation, Sermon XI, p. 332. seq. a London.

<sup>7)</sup> Vid. Traité de la Verité et de l'Inspiration des Livres sacrées, Chap. V, p. 42. seq. a Rotterd.

<sup>8)</sup> Vid. The Grounds, and Fundation of Natural Religion Discover'd. With An Introduction concerning the Necessity of Revealed Religion. §. 3, 4, a Lond

<sup>9)</sup> Vid. Veritas Relig. Christian. Cap. XX, p. 429.

<sup>10)</sup> Vid. l'Existence et des Attributs de Dieu des Dovirs de la Religion Naturelle, et de la verité de la Religion Chretienne, Chap. XI, Proposit. VII, p. 251, Tom. second.

<sup>11)</sup> Vid. Mysteries in Religion Vindicated, §. III. That humane reason corrupted and convincens of a general necessity of religion, p. 25. seq. a London, 1692.

<sup>12)</sup> Vid. Preservatif contre l'irreligion, au Demonstrations des Veritez de la Religion Chretienne, Liv. II, p. 101, a la Haye.

uelatione, de qua agimus, diuina, non negligenda sunt: Possibilitas nimirum, et necessitas. Illis, qui omnia ad rationis limam ducere solent, omnem circa reuelationis possibilitatem adimit scrupulum, quem supra laudaui, IAQVELO TVS,<sup>h)</sup> demonstrando, Deum, tanquam ens infinite intelligens, cum ente finite intelligenti agere, et eidem plus uno modo suas, quibus coli et adorari cupit, rationes communicare posse. Cultus igitur ratio a reuelatione est expectanda, quae etiam ante lapsum in Paradiso locum habuit, dum Deus, praecerto de vitanda arbore vetita, Gen. II, 16, 17, summam, quam a primis mortalibus exigebat, obedientiam et obsequium in rebus credendis et agendis obseruandum, satis manifestauit.

#### §. XXIV.

Necessitatem reuelationis facili opera demonstrare possumus, si ea potissimum fidei nostrae capita, quorum ratio humana maxima ex parte expers est, accuratori mentis indagine contemplemur. Dantur enim in fide, quam amplectimur, Christiana multae veritates, quae non, nisi ex reuelatione, patescunt, quod prolixiori filo demonstrarunt: IACOB BERNHARDVS<sup>i)</sup> PHILIPPVS MORNAEVS,<sup>k)</sup> et MOSES AMYRALDV<sup>j)</sup>. Antea vero, quam periculum in demonstranda reuelationis necessitate faciamus, praemittere haud otiosum est, communem fuisse et constantem plerarumque gentium opinionem, aliquam reuelationem humano generi aliquando assulisse, quo in arguento suffragium Ciceronis<sup>m)</sup> omne punctum mihi ferre viderur, quod ita fluit: *Vetus opinio est, inquit, iam usque ab heroicis ducta temporibus, eaque et populi Romani, et omnium gentium, firmata consensu, versari quandam inter homines diuinationem, quam Graeci, μαντικὴν appellant, id est, praesensionem et scientiam rerum futurarum.* Et paulo post:<sup>n)</sup> *Gentem quidem nullam video, neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem, tamque barbaram, quae non significari futura,*

h) Vid. Traité etc. Chap. V, p. 43.

i) Vid. l. c. Liv. II, Chap. III, p. 113. seq.

k) Vid. l. c. Cap. XXV, p. 523.

l) Vid. 1<sup>e</sup> Elevation de la Foy, et de 1<sup>e</sup> Abaissement de la Raison en la creance des mysteres de la Religion, Chap. II, p. 65, a Charenton.

m) Vid. de Diuinat. Lib. I, p. m. 178. Conf. de hac mortalium diuinatione: Peuceri libr. de Diuinationibus. Et Edonis Neuhufii Fatidia sacra, lib. III, cap. II, p. 76. seq.

n) Vid. l. c. p. 178.

tura, et a quibusdam intelligi, praedicique posse, censat. Duas autem cum TOB. PFANNERO, <sup>o)</sup> et HVGONE GROTI, <sup>p)</sup> ad acquirendam rerum sublimiorum cognitionem fuisse inter gentiles vias, statuimus; quarum altera est *ratio*, altera vero *reuelatio*, seu potius traditio: quia reuelatio, quae inter angustos Patriarcharum cancellos et circulos, a primis mundi incunabulis, se continuit, sed in propagatione et emigratione posteriorum, mirum in modum auctorum, per oralem traditionem, ad varios abiit populos, ita, vt non omnis inter ipsos exspirarit reuelatio diuina, per traditionem conservata. Proinde haud inepte arbitratur laudatus BECCONSALLVS, <sup>q)</sup> reuelationem per traditionem inter gentiles esse propagatam, nisus potissimum hocce oraculo Paulino: "Οταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμου ἔχονται, Φύσει τὰ τέ νόμος ποιᾷ, ἐτοι νόμον μὴ ἔχοντες, ἔωντος ἐισ τούμος. Οὐτινες ἐνδέκουνται τὸ ἔργον τῷ νόμῳ ψευτὶ τὸν τοις καρδίαις ἀνταῦ. Quum enim gentes, legem non habentes, natura legem faciunt, eiusmodi legem non habentes, sibi ipsi sunt lex. Illi testantur opus legis scriptum in cordibus ipsorum. Rom. II, 14, 15. Rem nimirum ita expedituit BECCONSALLVS, Paulum, legem animis gentilium inscriptam, diuersam hic esse a lege particulari, genti Iudaicae datam, profiteri. Libere enim PHILIPPO MORNAEO, <sup>r)</sup> suffragium addo, verbum Dei reuelatum in populo Israëlitico fuisse diuini cultus regulam, quae gloria huic Abrahami semini priscis temporibus solum fuit relicta, vt di sertere adfirmat Dauides, Ps. CXLVII, 19, 20. Habuisse itaque legem cordibus inscriptam gentiles, sed destitutos fuisse lege Iudeis reuelata, cuius praecepta et instituta omnino ignorarunt, certissimum est. Si itaque verba BECCONSALLI de Reuelatione Patriarchis facta, er ad posteros, per traditionem, deinceps propagata, interpreteris, tolerari poterit ipsius sententia; quoniam in aprico est, multas omnino veritates, diuinitus reuelatas, ad gentiles, per traditionem, commer-  
cia

<sup>o)</sup> Vid. System. Theol. Gentil. Purior. Cap. I, de dupli fonte Theolog. gentil. §. III, p. 7. seq.

<sup>p)</sup> Vid. Verit. Religion Christian. L. I, §. XXIV, p. 37. seq.

<sup>q)</sup> Vid. I. c. Chap. I, A Law of Nature antecedent to Revelation, p. I. seq.

<sup>r)</sup> Vid. I. c. Cap. XXIV, p. 501. seq.

cia cum Iudeis , variasque emigrationes et deportationes , et lectionem tabularum apud Iudeos sacrarum , abiisse , sed mihi successu temporis esse obscuratas , et fasciis , tenebris , apinisque involutas . Paucis . Omnis concertationis cardo in eo verritur arguento , ut lumen a Deo mentibus humanae immisum , quod a Diuo Paulo , Rom. I. 19 , appellatur diuina manifestatio , a revelatione Dei scriptis tradita , accurate ferneretur . Quid mirum , statores rectoresque rerum publicarum , homines , his revelationibus , quarum opinio altas in iporum animis egredit radices , intentos , hac ipsa spe et perlungione lacasse , et revelationes deorum dearumque , in formanda et bene gubernanda Republica , iactitasse ; quod manifeste de Numa Pompilio , Reipublicae Romanae conditore , ita tradit <sup>LIVVS:</sup> <sup>5)</sup> Deorum metum iniiciendum , ratus est , qui , cum descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset , simulat , sibi cum Dea Egeria congressus nocturnos esse , eius semonita , quae acceptissima Diis essent , sacra instituere . Mitto Lycurgi <sup>1)</sup> aliorumque revelationes , temere affectatas , utferos homines emollirent , eosdemque redderent obsequiosos , et ad religionem , quam formabant , proclues .

## §. XXV.

Certi de revelatione priscis temporibus facta , nunc demonstranda erit eiudem necessitas . Dari veritates diuinis , naturae lumine cognoscibles , tanto maiore animi confidentia profitemur , quanto illuminator est nostra de Deo , eius attributis , de homine , de mundo , de prouidentia , aliisque veritatibus , noritia , nobis omnino innata , et longa meditatione , et experientia , optima rerum magistra , comparata et acquisita . Ast tantis quoque insinuitatibus , anfractibus , et dubiis mens humana est obnoxia , ut CAECILIVS apud MINVCIVM FELICEM <sup>9)</sup> adfirmare non dubitet : *Omnia in rebus humanis sunt dubia , incerta , suspensa , magisque omnia verisimilia , quam vera .* Id equidem cum Caecilio adferre nolle ; quia ratio , seu lumen naturae , veritates de Deo et rebus diuinis tradit , omni exceptione et dubitatione maiores , vti Paulus , Rom. I. 19. 20. 21 , fusius exponit . Vitio tamen mor-

s) Vid. Lib. I, Cap. XIX.

t) Vid. Strabo , Libr. XVI, p. 762.

v) Vid. Octavius , pag. 4.

mortalium; intellectus inquam et voluntatis corruptione, factum est, ut pleraque Dei attributa a gentilium magistris vel inepte explicata, vel plane negata sint; quod <sup>x)</sup> SENECA <sup>x)</sup> Epicuro his exprobrat verbis: *Tu denique, Epicure, Deum inerem facis, omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam; et ne cuidam metuendus esset, proiecisti istum extra metum.* Reuelatio vero diuina hos periculosae quaefitionis nodos soluit, et omnes difficultates tollit, et nobis illas doctrinas, quas humana ratio vel prorsus ignorat, vel in dubio relinquit, excellenter proponit; quorū potissimum spectant doctrinae de Trinitate, de originali hominis macula, de satisfactione vicaria, eaque infinita et diuina, de statu hominis post mortem, de resurrectione, de nouissimis, aliisque fidei Christianae capitibus, quod **IOANNES IACQUELOTVS** <sup>y)</sup> uberior tradit. Extra dubium posita est religionis naturalis ad salutem aeternam consequendam imperficio, firmisque a **GVIL. BAIERO** <sup>z)</sup> aduersus CHAVVIGNVM fundamentis stabilita. Qua posita, diuina reuelatio omnino aestimatur necessaria. Ea vero reuelatio, bene monente **HENRICO MORO**, <sup>a)</sup> diuina et vera est, quae attributis diuinis nullum infert damnum, periculum, aut naeum.

## §. XXVI.

Cum hac, de qua paulo prolixius egimus, reuelatione, intimo nexo coniuncta est inspiratio, quo nomine talem intelligimus actionem, seu impulsum Spiritus Sancti, quo sanctis Dei hominibus, nihil prorsus ex suo studio et arbitrio conferentibus, omnia, et singula, dicenda, et scribenda, quoad res et verba suggestit. Duo vero criteria in hac inspiratione diuina non negligenda sunt, quorum alterum est **Opere** <sup>meum</sup>,

<sup>x)</sup> Vid. de Benefic. Lib. IV, Cap. XIX.

<sup>y)</sup> Vid. Traité de la Verité et de l' Inspiration des Livres sacrez, Chap. V, p. 43.

<sup>z)</sup> Vid. Animadueriones ad librum Petri Chauini: de Religione Naturali.

<sup>a)</sup> Opp. Theologic. Dissert. de veris rationibus f. fundamentis certitudinis fidei in rebus religionis, p. 828, edit. Lond. Conf. Gerhardi de Vries Exercitationes rationales, Exercit. de officio Philosophi circa reuelata, p. 475. seq.

*πείσα*, alterum diuina vocatio. Si certi conuictique esse cupimus de veritate inspirationis diuinæ, res ipsæ inspiratae ad examen sunt reuocandæ, vtrum ea, quae ex inspiratione prolatæ dicuntur, argumenta, cum sanctitate, bonitate, iustitia, et veritate Dei, conueniant, nec ne? Nemo ea diuinitus inspirata cum veritate dixerit, quae Deo eiusque perfectionibus sunt indigna. Hoc ex signo et lapide Lydio, robur ad confirmandam nostram sententiam, de vera oraculi nostri explanatione, accedit. Si enim obseruatio Grotii, aliorumque auctoritatem haberet, vacillaret Dei sanctitas, et eadem mendacio, factio, Deo prorsus indigno, comacularetur, quod dictu est turpe. Ex hac nota ulterius diiudicari potest, quam leues, futilles, et lubricæ sint inspirationes, quas, veluti ampullas proiecit impostor ille omnium maximus Mahomedes. Nullo igitur modo ea inspiratio, in qua vel minimus error, vel aliquid in Dei attributa et perfectiones iniquum occurrit, se nobis probat, sed ad imposturas, fallacias, et deliramenta hominum est referenda. A sanctissimo Numine est alienum, auctorem esse hominibus mendaciorum, fallaciarum, et rerum prorsus obscoenarum, quorum propudosorum argumentorum et monstrorum plena fuerunt gentilium oracula, et fictitiae inspirationis instrumenta, adeo quidem, ut verecundi et sagacis animi gentiles erubuerint, et suis etiam Diis fabulosis maculas alperfas esse dixerint. Quid autem, queso, in hac Eliaei reuelatione et inspiratione reprehendes in Deum iniurium? Quid maiestati, sanctitati, et iustitiae aduersum? Commendat se veritate, quam tristissimus fatis confirmauit euentus. Stabili, ni fallor, innititur fundamento nostra sententia, illum vatem, qui certissime futura praenunciat, quibus et ipse euentus respondet, diuina omnino gaudere inspiratione et reuelatione. Eliaeus ea, quae Hasæl clanculum moliebatur, suo ex ingenio nec praevidere, nec certo futura praedicere poterat, attamen praecudit totam rerum ab Hasæle gereadarum seriem, praedixitque ea omnia, quae adhuc sub conditione futura erant, tanquam praesentia, et iam acta; inde de ipsius inspiratione et reuelatione tanto minus est dubitandum. Bene itaque EDWARDVS STILLINGFLEETVS b) euentum rerum antea praedicatorum pro testimonio reuelationis falli nescio habet, quod quoque Eliaeo haud denegandum est. Et hoc ipso complemento rerum, multis saeculis a Prophetis et Apostolis praedicatorum, scriptura sacra Veteris

b) Vid. l. c. p. 124.

teris et Noui Testamenti sua omnino suffulcitur auctoritate, plane divina, quod *ISAACVS IAQVELOTVS*<sup>c)</sup> excellenter confirmat. Quin et sapientissimus rerum humanarum arbiter hoc ipsum rerum futurarum vaticinium, eiusdemque complementum, tanti aestimat, vt illud inter notas veri prophetae ponat, demonstretque hoc ipso indicio veros Dei vates, scitios et eminentios sacrificulos gentilium multis post se relinquere parasangis. En Dei verba: *Adferre, gentes, item vestram, dicit Iehouah; adducite robora vestra, dicit rex Iacobi.* Adducant et nuncient nobis, quae contingent; priora, quae fuerint illa, indicate, vt ponamus ad cor nostrum, et sciamus posteritatem eorum; aut ventura audire facite vos. Indicate signa in futurum, vt sciamus, quod Dii sitis; etiam bonum facite, aut malum facite, vt speciemus et videamus simul. Ies. XLI, 21-23. Conferantur alia oracula: Ies. XLIII, 8, 9, 10, XLIV, 7, et passim obuia. Eadem est hominum, qui nostra aetate inspirationem iactitant, ratio, vt parum absit, quin hos fano sensu laborare dixeris. Praeter enim quam, quod immediatam aliquam reuelationem, nec non inspirationem, prae se ferunt huius furoris homines, ad tam absonta, lepida et spurea quoque prolabuntur instituta, quae cum diuina inspiratione et auctoritate valde pugnant. Maxima proinde inter veterum Prophetarum et Apostolorum, et nouorum nostrae aetatis Inspiratorum, differentia est constituenda, quod *ROBERTVS SOVTHIVS*,<sup>d)</sup> sat dextie demonstrat.

### §. XXVII.

*Alterum verae inspirationis criterium est diuina vocatio, qua Eliæ omnino fuit instructus. Solemne quoque fuit omnibus sanctis Veteris et Noui Testamenti viris, diuino afflato collustratis, quod diuinitatem suam in fronte suorum vaticiniorum, et orationum, quas ad popu-*

c) Vid. l. c. Chap. XVI. Demonstration de la Vérité et de la Divinité des saintes lettres tirée des Predictions qui se lisent dans l'ancien Testament, p. 136. Conf. Five Letters concerning the inspiration of the holy Scripture, p. 20. a Lond.

d) Vid. Sermons and Discourses, Vol. V, The second Sermon, in Rom. VIII, 14, p. 317. a London, 1727.

populum habuerunt et scripserunt, sanctorum, praemiserunt, ut suis oraculis diuinam conciliarent auctoritatem. Quae vocatio verorum Prophetarum diuina non raro signis et miraculis est confirmata, quod ex diuina Mosis, aliorumque virorum sanctorum, legatione demonstratu haud difficile est. Cauta tamen et prudenter vera signa et miracula a falsis sunt secernenda, accurateque dispiciendum, qua ratione signa et miracula ad confirmandam doctrinam puriorem, et vaticinia stabilienda, faciant, quas notas in hoc scrutinio bene tenendas prolixius exposuerunt: IO. CONRAD. DANNHAVERVS,<sup>e)</sup> SEBAST. NIEMANNVS,<sup>f)</sup> IO. STILLINGFLEETVS,<sup>g)</sup> et GVIL. FLEETWODVS<sup>h)</sup> quorum sententiae in hoc difficulti negotio sunt confundendae.

### §. XXVIII.

Verum tamen est, ad vocationis diuinae veritatem demonstrandam non simpliciter requiri signa et miracula; quia illa in dubiis saltet rebus, ad excutiendum hominibus praefactae frontis pudorem, sternoremque, in subsidium sunt adhibita. Nec ipsa, vel illustrissima, signa et miracula eam semper habent facultatem, et potestatem in animis hominum, ut verum, eumque diuinum, hominibus ingerant afflensum. Nemo sane Prophetarum Veteris Testamenti excellentior extitit Christo, omnium, quotquot inclauerunt, Vatum principe et coryphaeo; attamen non omnes horum spectaculorum et miraculorum, permultorum et diuinorum, testes oculati illis moti sunt, ut diuinam ipsius ad mortales legationem admitterent, ipsisque fidem adhiberent. Quodsi enim fides nostra in rebus credendis necessario miraculis esset nutrienda et confirmanda, concatenata miraculorum serie et circulo opus esset, nec ullus foret eorumdem finis. Addo, non omnes, quibus tamen diuina ad munus sacrum obeundum vocatio et inspiratio

e) Vid. Dissertat. de miraculis ver. et fals. Disputat. Vol. I, Part. II.  
P. 718.

f) Vid. Dissertat. Theologic. de miraculis, vtrum ex illis doctrinae, vel ecclesiae Pontificiae, veritas probari possit? §. LV, et LVI, p. 32, Ien. 1710.

g) Vid. Origin. Ecclesiastic. Lib. II, Cap. X, §. VI, p. 236. seq.

h) Vid. Essay upon miracles, sec. disc. p. 169. seq.

inspiratio haud deneganda est, miracula fecisse, quod de pluribus Prophetis, Iesaiā, Ieremia, Ezechiele, Daniele, et reliquis secundi ordinis Prophetis, in vado est. Satis est ad confirmandam illorum vocationem et inspirationem, illos locutos esse diuino afflato incitatos, 2 Petr. I, 20. Quin et in aprico est, diuinam reuelationem venire in discrimen, si miraculorum demonstratio simpliciter esset necessaria: quia mortales diuina reuelatione nihilominus gauisi sunt, licet per duo priora milenaria, a Protoplasmorum aetate usque ad Moysis tempora, nulla conficerent miracula. Non defuerunt illo perlongo temporis tractu priscae mortalium genti viri diuinitus inspirati; Henochus, Iudee epistol. v. 14, 15; Noachius, Hebr. XI, v. 7, 2 Petr. II, 5; Abrahamus et Iacobus; de quorum tamen miraculis altum in tabulis sacris est silentium. Exinde profluit, homines ad fidem esse deuinatos, si vel nulla accedant, ad eandem confirmandam et corroborandam, miracula. Demonstrasse mihi nunc videor ea, quae his pagelis, strictis tantum calamis, deducenda et eruenda videbantur.



PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI

Satis cognitam, perspectamque habeo  
TVAM, VIR PRAENOBLISSIONE, eruditionem, cuius  
publico hoc specimine edere voluisti documentum.  
Ex animi affectu TIBI gratulor ingenium  
felix, et sanctioribus disciplinis percultum, et ex-  
cellenter instructum; stadium insuper cursus Aca-  
demici nunc per plures annos feliciter consecutum,  
et iis omnibus, quibus sacri muneris ministri ad-  
ornati esse debent, adauctum subsidiis. Singula-  
rem haec omnia de TE, VIR PRAENOBLISSIONE, spem mihi faciunt, fore, ut ex-  
pectationem meam superes, et exoptatissimos  
iuxta ac uberrimos capias fructus, eosdemque Ec-  
clesiae nostrae propediem feras. Vale. Dabam  
Lipsiae die XV. Decembr. cIs Icc XLVII.

Jd. 2979

ULB Halle


002 711 796

3



TA > 0 C

NC





DISSERTATIO PHILOLOGICO - HISTORICA  
DE  
LACRIMIS  
VATVM SACRORVM  
INSPIRATIONIS DIVINAE TESTIBVS,  
*Ad Oraculum II. Reg. VIII, comm. 10, II.*  
CVRATIVS ENVCLEANDVM,  
IN AVDITORIO THEOLOGICO  
DIE XV. DECEMBER. M DCC XXXXVII.  
HABITA,  
AVCTORE ET PRAESIDE  
IOANNE RVDOLPHO KIESLINGIC  
D. ET PROF. PVBL. ORDIN.  
ET RESPONDENTE a.  
M. CHRISTIAN. ERNEST. MEERHEIMIC  
S. S. MINISTER. CANDIDAT.  
LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMANNIA.